Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christophorus Henricus Kirchner

M. Christophori Henrici Kirchneri Principia Accentvationis Codicis V. T. Methodo Rationali Exposita Qvorvm Ope Svperatis Maximis ... Via Sternitvr Facillima Eaqve Brevissima Ad Ervendvm Vervm Ac Certvm Sacrarvm Paginarvm Sensvm ...

Ienae: Litteris Schillianis, MDCCXXXXVII

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550

Druck Freier Zugang



(Ic-1702 (10)
930(8)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550/phys_0002
DFG

M. CHRISTOPHORI HENRICI
KIRCHNERI

PRINCIPIA ACCENTVATIONIS

CODICIS V. T.

METHODO RATIONALI
EXPOSITA

QVORVM OPE
SVPERATIS MAXIMIS
QVIBVS DOCTRINA HAEC ADHVC PREMEBATVR
DIFFICVLTATIBVS
VIA STERNITVR FACILLIMA
EAQVE BREVISSIMA
AD
ERVENDVM VERVM AC CERTVM
SACRARVM PAGINARVM
SENSVM.

OSTENSVS EST IN FINE
HORVM PRINCIPIORVM VSVS.
IN COMMODVM PRAELECTIONVM
ACADEMICARVM.

IENAE
LITTERIS SCHILLIANIS
CIↃ IↃ CC XXXXVII.

VIRO

PLVRIMVM VENERANDO

M. IOANNI CONRADO HARTMANNO

PLOFELDENSIBVS ECCLESIAE CHRISTI CIVIBVS SANCTIORVM LEGVM RATIONES EXPONENTI PRIMARIO MERITISSIMO

AVVNCVLO AC FAVTORI SVO

OMNI PIETATIS CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO

HVNC QVALEMCVNQVE INGENII SVI FOETVM SACRVM FACIT

AVCTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550/phys_0007
DFG



Tot TIBI, VIR plurimum VENERANDE, obstrictus sum nominibus, tam ingens est beneficiorum, quibus me ornasti, cumulus, vt continere me non possim, quin publice nunc gratum meum TIBI profitear animum. Ab ineunte enim statim ætate, TVA

et

et solida, et fideli mihi frui licuit institutione. Studio dixi solida. *Non enim philosophicas solum disciplinas distincta mihi methodo explanasti, sed ea etiam, quæ sola alias memoria capiuntur, TE duce, ex notionibus mihi innotuerunt suis. Fidelis quoque fuit institutio TVA. Non enim per ambages me fatigasti, sed indefesso potius studio id egisti, vt breuissimam mihi ad solidiorem eruditionem monstrares viam. Non*

vero tantum scientiæ meæ amplificandæ, sed et moribus meis emendandis dedisti operam, ac recte, quæ mihi dedisti, viuendi præcepta tua ipse vita expressisti. Hæc omnia TIBI debeo, licet hæc nondum sint omnia. Infinita enim alia restant, quæ, tantum abest, vt verbis exprimere possim, vt ea potius ne mente quidem concipere queam, beneficia. Accessit his nuper admodum haud contemnendum. Pro omnibus his,

a TE in me collatis, beneficiis, gratias TIBI persoluo immortales, atque, loco testis grati mei erga TE animi, opusculum hoc TIBI dico consecroque. Nimis leue quidem est hoc munusculum pro tantis beneficiis; sed quod ei deest, innata quasi tibi, eaque cum singulari plane, ac minime vulgari eruditione arctissimo nexu copulata supplebit humanitas. Supplices semper ad deum fundam preces, vt omnia TIBI ex animi sententia succedere, ac quam diutissime TE florere iubeat. Sic

lætabitur patria, lætabitur is, cui, non ſine communi plauſu, diuinas explicas doctrinas, cœtus, laetabuntur omnes, qui TVAM eruditionem, lætabuntur omnes, qui TVAM humanitatem norunt, lætabor denique in primis ego, qui ea, qua par eſt, animi TE rogatum volo obſeruantia, vt TVO complecti fauore pergas

pium tui cultorem

AVCTOREM.

PRO-

PROLOGVS.

BENEVOLE LECTOR!



Quibus adductus cauſſis hæc principia compoſuerim, ipſe tu perſpicies, ſi ea accuratius animo tecum luſtrare, atque cum aliorum, de accentuatione in lucem editis, conferre tibi libuerit ſcriptis. Num actum egerim, eaque e charta transtulerim in papyrum, tuo quoque ſubmitto iudicio. Num denique facilitata iis ſit de accentibus doctrina, ac num ex

genuinis omnia ſuis legitimo ſint modo deducta principiis, BENEUOLUS LECTOR, ſepoſito partium iudicet ſtudio. Honoratiſſimi certe Auditores mei Amici mei longe Suauiſſimi, breui, ductu horum principiorum, doctrinam de accentibus addidicerunt, adeo, vt dimidium tantummodo temporis, quod alii tradendis accentuationis præceptis impendunt, mihi fuerit impendendum. Accentuationem a priori, eo ſenſu, quo a plerisque ſumitur, acceptam, omiſi penitus. Longum nimis eſſet rationes, quare hoc fecerim, hic exponere omnes. Fiet vero hoc quam primum in peculiari

liari quodam ſcripto. Conſecutionem quoque accentuum, quia, poſitis his principiis, eam ſilentio præterire potui, non tradidi; ſi exceperis pauca illa, quæ, in vſum accentuationis decalogicæ, in fine theoriæ accentuum adduxi. Quæ vero, examinaturum variantes lectiones, ac certas quasdam accentuum figuras a ſe inuicem diſcreturum de conſecutione accentuum noſſe iuuat, peculiari quadam mox tabula ſignificabo; quia tabulæ Excellentiſſimi noſtri Tympii, Patroni ac Præceptoris mei, omni pietate ſuſpiciendi, quæ inſtar omnium eſſe poſſunt, nonniſi cum Weimari accentuatione veneunt. Qui ad addiſcendam de accentibus animum ſuum appellunt doctrinam, ea tantum-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550/phys_0015
DFG

tummodo mente id faciunt, vt ope accentuum ad verum ac determinatum ſacrorum oraculorum idonei euadant eruendum ſenſum. Quo igitur pacto hoc optime fieri poſſit, vt oſtenderem, omnem adhibui operam; ac pro ratione finis huius primarii Beneuolus Lector mea principia æſtimabit. Vt, quomodo principia hæc velim applicata, quilibet perſpicere poſſit, adieci in fine praxin ſufficientem tum proſaicæ, tum metricæ, tum duplicis accentuationis. Si Eruditus Lector quid inuenerit, quod contra ea moneat, humaniter mecum illud communicet, rogo, ac perſuaſum ſibi habeat, me, omni, qua fieri poterit, modeſtia ad iſtud reſpon-

reſponſurum; attamen & hoc illum rogatum eo, vt eorum, quæ contra me in medium adferre ipſi videbuntur, adiiciat ſtatim probationem. Nulla auctoritate moueor, niſi eius, qui nec fallere, nec falli poteſt. Non rebus nouis, ſed veritati ſtudeo. Antequam vero præfationi huic coronidem imponam, vnicum tantum dubium, quod contra accentuationem meam moueri poſſet, paucis diluam, vberiore ad illud reſponſione tam diu dilata, quam diu nemo hoc mihi publice mouebit. Poſſent nimirum contra ſuppeditatam a me de accentibus definitionem ſequentem in modum rationes ſubduci: Vbi deſinit nexus vocum, ibi non poteſt

eſſe

esse signum nexus vocum. Atqui apud vltimam codicis sacri V. T. vocem definit nexus vocum. Ergo apud vltimam cod. sacri V. T. vocem non potest esse signum nexus vocum. Ergo Silluk, vltimæ codicis sacri voci adiectus, non est signum nexus vocum. Qui ergo definit accentus, quod sint *signa nexus vocum*, Sillukum, vltimæ V. T. voci adiectum, pro accentu habere nequit. Quum vero Silluk, vltimæ V. T. voci adiectus, sit accentus; sequitur, eum, qui definit accentus per *signa nexus vocum* eos non recte definire. Sed primo retorqueo hanc ratiocinationem, & quidem hac ratione: quomodo quæso definit eiusmodi opponens accentus?

tus? Nonne per *Signa coniunctionis et distinctionis vocum*? Nunc eodem modo argumentor: Vbi desinit coniunctio et distinctio vocum, ibi non potest esse signum coniunctionis et distinctionis vocum. Atqui apud vltimam codicis sacri V. T. vocem desinit coniunctio et distinctio vocum. Ergo apud vltimam V. T. vocem non potest esse signum coniunctionis et distinctionis vocum. Ergo Silluk, vltimæ V. T. voci adiectus, non est signum coniunctionis et distinctionis vocum. Qui ergo definit accentus per *signa coniunctionis et distinctiouis vocum*, Sillukum, vltimæ V.T. voci adiectum, pro accentu habere nequit. Quum vero

vero Silluk, vltimæ V. T. voci adiectus, sit accentus; sequitur, eum, qui definit accentus per *signa coniunctionis et distinctionis vocum*, eos non recte definire. Deinde etiam hoc moneo, non esse, quod sacras litteras nobis concipiamus ita, vti quidam hoc vniuersum sibi fingunt, quasi terminis sit circumscriptum, ibique asseribus contabulatum. In sacris enim litteris proprie dici non potest: hic finis lectionis est, hic initium; sed, quamprimum perlectae sunt, iterum de nouo sunt legendæ, adeo vt, suo modo, deprehendatur hic progressus in infinitum circularis. Quod reliquum est, mihi conatibusque meis, etiam in posterum, faueas, ac valeas.

DO-

DOCTRINAE, DE ACCENTIBVS CODICIS VETERIS TESTAMENTI, SECTIO PRIMA AGENS DE ACCENTIBVS INGENERE.

§. I.

Accentus codicis V. T. sunt signa nexus vocum, quibus adiecti sunt.

COR. Ergo nexus vocum est signatum de accentibus.

§. II.

Diuersum signatum qua tale dat diuersum signum qua tale (per principia logica); vbi ergo est diuersus nexus vocum, ibi etiam adsint necesse est diuersi accentus, quatenus sunt signa huius nexus (§. 1. cor.).

COR. Posito maiori et minori nexu, ponuntur diuersi nexus; posito ergo maiori et minori nexu, diuersi ponantur, necesse est, accentus, quatenus sunt signa horum nexuum. Quatenus vero sunt signa horum nexuum, eatenus

vnus maiorem nexum indicat, ac alter minorem; posito ergo maiori nexu, ponatur necesse est accentus, maiorem nexum indicans, ac posito minori nexu vocum, ponendus est accentus, qui minorem designat nexum.

§. III.

Ex hoc, quod signa sint diuersa, qua talia, seu formaliter spectata, non sequitur, ea etiam in se, seu materialiter considerata differre; etgo quoque ex eo, quod accentus diuersi sint, quatenus sunt signa nexus vocum, non immediate sequitur, eos etiam in se s. materialiter spectatos differre (§. 1.).

COR. I. Ideoque ex diuerso nexu vocum intelligo quidem, adesse debere diuersos accentus, quatenus sunt signa nexus huius vocum (§. 2.): non vero inde concludere possum, accentus illos, etiam ratione figurae, differre.

COR. II. Hac ex ratione fieri quidem potest, vt, posito diuerso nexu vocum, ponantur accentus materialiter, seu, quod idem est, ratione figurae diuersi; fieri vero etiam potest, vt, posito licet diuerso nexu vocum, iidem tamen ponantur, ratione figurae, accentus.

§. IV.

Idem signatum, qua tale, dat idem signum, qua tale (per princ. log.); ergo idem nexus vocum ponit eosdem accentus, quatenus sunt signa huius nexus (§. 1. cor.).

§. V.

§. V.

Ex hoc, quod signa sint eadem, qua talia, seu formaliter spectata, non immediate sequitur, ea etiam eadem esse in se, seu materialiter spectata; ergo etiam ex eo, quod accentus iidem sint, quatenus nexum vocum indicant, non satis tuto colligere licet, eos etiam in se, seu materialiter consideratos eosdem esse (§. cit.).

COR. I. Adeoque ex eodem nexu patet qnidem, adsint, necesse esse, iidem accentus, quatenus sunt signa nexus huius vocum (§. 4.), non vero inde sequitur, eos etiam ratione figurae conuenire.

COR. II. Fieri ergo quidem potest, vt, posito eodem nexu vocum, iidem, quatenus materialiter, seu quoad figuram spectantur, ponantur accentus; fieri vero etiam potest, vt, posito licet eodem nexu vocum, diuersi nihilominus ponantur ratione figurae accentus.

§. VI.

Liber Iobi, Prouerbia Salomonis, atque psalmi, prae ceteris Veteris testamenti libris, concinno, emphatico, affectibusque scatente conscripta sunt dicendi genere; adeoque his tribus in libris nexus vocum occurrit, a nexu vocum, ceteris in libris obuio, diuersus: quatenus ergo nexus vocum in his tribus libris diuersus est a nexu vocum in reliquis libris, eatenus in hac

triga librorum diuersi sint, necesse est, accentus ab accentibus reliquorum librorum, quatenus nexum illum designant (§. 2.).

COR. Fieri ergo potest, vt, quatenus nexus vocum, his tribus in libris occurrens, a nexu vocum in reliquis libris obuio est diuersus, hi tres libri, quoad accentus, ratione figurae, spectatos, cum reliquis libris conueniant; fieri vero etiam potest, vt hoc respectu ab illis discrepent (§. 3. cor. 2.).

§. VII.

Nexus vero vocum, qui his tribus libris continetur, non prorsus est diuersus a nexu vocum reliquis in libris obuio; ideoque, quum nexus vocum sit signatum de accentibus (§. 1. cor.), sequitur: quatenus hi nexus vocum inter se conueniunt, eosdem adesse debere accentus, quatenus sunt signa horum nexuum (§. 4.). Hi vero, quoad figuram, possunt conuenire, possunt vero etiam dissentire (§. 5. cor. 2.).

§. VIII.

Quia ergo accentus, qui in psalmis, prouerbiis, ac libro Iobi occurrunt, diuersi sunt ab accentibus, qui in reliquis libris deprehenduntur, nomine etiam ab ipsis discernuntur, ac illi metrici, hi vero prosaici appellantur; ideoque accentuatio in psalmis, prouerbiis, ac Iobi libro occurrens

rens metrica, accentuatio vero reliquis in libris obuia prosaica salutatur.

COR. I. Quatenus ergo nexus vocum, quem in libris prosaicis inuenimus, a nexu vocum, qui in libris metricis deprehenditur, est diuersus, accentus quoque prosaici ab accentibus metricis formaliter differant, necesse est (§. 6.); licet, quoad figuram, cum illis possint conuenire, et ab iis ratione eius discrepare (§. cit. cor.).

COR. II. Quatenus vero nexus librorum prosaicorum cum nexu librorum metricorum conuenit (§. 7.), iidem in vtraque accentuatione necessario requiruntur accentus formaliter spectati (§. 4.), qui tamen, quod ad figuram attinet, conuenire, atque differre possunt (§. 7.).

SCHOL. Non vero inde inferri potest, accentuationem metricam metrum efficere, aut ad metrum seu carmen necessario requiri; canticum enim canticorum, ac alia cantica, quae in codice sacro veteris testamenti occurrunt, ac sine omni dubio ad carmina sunt referenda, e. g. canticum Mosis, deuter. XXXII. nec non canticum Deborae Iud. V., accentibus metricis instructa non conspicies. Ex eodem medio termino patet, ab accentuatione prosaica ad prosam non valere consequentiam. Quae cum ita sint, manifestum est, definita haec definitionibus suis neutiquam esse accommodata. Ideoque satius esset, accentuationem metricam nominare accentuationem librorum אמ״ת, ac-

centuationem vero prosaicam accentuationem librorum non אמת; liber enim Iobi (איוב), prouerbia (משלי), ac psalmi (תהלים), retenta solum cuiuslibet horum librorum littera initiali, pro more abbreuiandi Rabbinis maxime familiari, contracte dicuntur libri אמת. Quia vero vsus loquendi est tyrannus, consultius ducimus definita haec inconuenientia retinendo intelligi, quam accommodatiora in locum eorum substituendo obscuri fieri.

§. IX.

Nexus admittit diuersos gradus (per princ. metaph.); posito ergo nexu vocum, poni possunt diuersi huius nexus gradus.

COR. Ideoque tum in prosaicis, tum in metricis libris diuersi poni possunt nexus gradus (§.6.).

§. X.

Diuersi nexus gradus sunt diuersi nexus; Quot ergo in libris prosaicis, ac metricis diuersi sunt nexus gradus, tot etiam diuersi in illis occurrant necesse est accentus formaliter spectati (§. 2.).

SECTIO SECVNDA.

DE ACCENTVATIONE PROSAICA IN SPECIE, IN QVA GENERATIM DE VALORE ACCENTVVM DISSERITVR.

§. XI.

§. XI.

In accentuatione prosaica quindecim tantummodo occurrunt diuersi nexus gradus; ergo in accentuatione prosaica quindecim diuersi adsint, necesse est, accentus formaliter spectati (§. praec.)

§. XII.

Primum s. minimum nexus gradum indicare solet	Silluk cum Soph pasuk
secundum gradum	Athnach
tertium	Sgholta
quartum	Sakeph Katon
	Sakeph gadhol
quintum	Tiphcha
sextum	Rbhia
	Pfik Schalscheleth.
septimum	Sarka
octauum	Paschta
	Ithibh
nonum	Tbhir
	Merca Chphula
decimum	Paser
	Karnephara
vndecimum	Tlischa ghdhola
duodecimum	Geresch

decimum tertium - - - Garſchajim
Pſik munachatus
Pſik mahpachatus
Pſik Dargatus
Pſik merkatus.

ac ſigna decimi quarti gradus.

decimum quartum - - merka
munach
mahpach
darga
Iareach
Kadma
Tliſcha Ktanna

decimum quintum - - - makkeph.

SCHOL. Non ſine ratione ab initio huius paragraphi vſi ſumus voce Solet; ordinarie enim hos, quos nominaui, gradus dicti accentus deſignant. Infra vero dicenda docebunt: quosdam ex illis, qui maiorem nexus gradum indicant quam alii, ſi cum aliis accentibus connectantur, minorem iis poſſe nexum deſignare, et ſic etiam vice verſa.

§. XIII.

Qui fieri poſſit, vt gradus quartus, ſextus, octauus, nonus, decimus, duodecimus, decimus tertius, ac decimus quartus pluribus accentibus deſignentur (§. 12.); facile

facile est intellectu ex paragrapho quinto, eiusque corollario secundo; vnde vero explicandum sit, quod hi gradus pluribus denotentur accentibus, infra suo loco demonstrabimus.

§. XIV.

Quo vero pacto fieri possit, vt signa decimi quarti gradus sint etiam signa decimi tertii gradus (§. 12.), perspici optime potest ex paragrapho tertio, eiusque corollario secundo. Quando vero hi accentus sint signa decimi tertii gradus, et quando sint signa decimi quarti gradus, infra determinabimus.

§. XV.

Omnes accentus prosaici eam tantummodo, in qua tonus est, syllabam occupant, si exceperis Tlischam ghdholam, Ithibhum, sgholtam, sarkam, paschtam, et Tlischam Ktannam (§. 12.); ex quibus Ithibh, et Tlischa ghdhola in prima semper vocis deprehenduntur littera, ideoque dicuntur praepositiui, reliqui vero in vltima semper vocis se conspiciendos praebent littera, ideoque postpositiuorum nomine veniunt.

COR. Accentibus ergo tribuendus est valor tonicus.

SCHOL. I. Ex eo vero, quod sgholta, paschta, et Tlischa Ktanna vltimam semper vocis litteram

occupent, non sequitur, eos nunquam in syllaba tonica comparere; primo enim id fit, quando tonus est in vltima, e. g. quoad sgholtam Gen. I, 7. in voce הָרָקִיעַ, quoad sarkam l. c. in voce אֱלֹהִים, ac Num. 11. v. 17. in voce עַמֶּךָ, et v. 18 in voce לְמָחָר, ratione paschtae 1 Sam. 25. v. 2. in voce וְהָאִישׁ, ac, quod ad tlischam ktannam spectat, Michae V, 7. in vocabulo וְהָיָה. Deinde vero, etiamsi tonus sit in penultima, in ea repetuntur; paschta quidem semper, reliqui autem raro, et quidem, secundum quosdam tantum codices. conf. Iesa. 64. v. 7. הַחְמֵר Iesa. LXII. 6. חַפְקֻדְתִּי

SCHOL. II. Si vox quaedam desinit in duplex schua, aut patach furtiuum, inde syllaba quaedam oriri in accentuatione creditur; ideoque, etsi tonus sit in vltima, tamen, si haec desinat in duplex schua, aut patach furtiuum, paschtam repetitum conspicies. Exempli loco esse possunt הַמִּזְבֵּחָה Leu. I, 5. et וַתִּשְׁתְּ Ruth. III, 7.

SCHOL. III. Ex peculiari vero hoc accentuum positu facili negotio perspici poterit discrimen, quod inter mahpach, et ithibh, nec non inter paschta et kadma intercedit. Reliqui vero accentus, quos, primo intuitu, pro iisdem habere possemus, quomodo a se inuicem differant, omnium optime in applicatione, ac in prae-

praelectionibus ostendi poterit; in quibus simul de nominibus accentibus impositis, eorumque significatu, ac deriuatione quae dicenda sunt, in medium adducam.

§. XVI.

Ex grammatica Danziana, et ex eius quidem paragrapho decimo quarto notum est: makkeph, seu signum decimi quinti gradus (§. 12.) tam arctum nexum vocum, quibus interpositum est, indicare, vt, posito hoc nexu, non vt plures, sed ceu vnica vox sint legendae; id quod in reliquos accentus non cadit. Ideoque, quae de makkeph notatu digna occurrunt, ab iis, quae de reliquis accentibus dicenda, secernemus, ac de his nunc, de Makkeph vero infra agemus.

§. XVII.

Si ergo abstrahimus a makkeph, atque eos tantum consideramus accentus, quibus adpositis, voces manent separatae (§. praec.), signa decimi quarti gradus arctiorem indicant vocum nexum, quam omnes alii accentus (§. 12.), ideoque per eminentiam coniunctiui adpellantur.

§. XVIII.

Omnes nexus gradus minores sunt, quam gradus decimus quartus (§. 12.); ergo etiam accentus, qui diuersos a decimo quarto designant nexus gradus, minorem

rem indicant nexum, quam signa decimi quarti gradus (§. 10.). Quo minor vero est nexus, eo maior est distinctio; omnium igitur a decimo quarto diuersorum graduum accentus maiorem designant distinctionem, quam signa decimi quarti gradus: et hac quidem ex ratione accentus omnium graduum, praeter decimum quartum, dicuntur distinctiui.

§. XIX.

Signa decimi tertii gradus maiorem indicant nexum, quam signa duodecimi, vndecimi, ac decimi gradus, atque haec maiorem nexum, quam signa noni, octaui, septimi, et sexti gradus, ac haec arctiorem nexum, quam signa quinti, quarti, et tertii gradus, et haec denique arctiorem, quam signa secundi, ac primi gradus (§. 12.); quo minor est nexus, eo maior est distinctio: Ergo signa primi, et secundi gradus maioris sunt distinctionis, quam signa tertii, quarti, et quinti gradus, et haec maioris distinctionis, quam signa sexti, septimi, octaui, et noni gradus, et haec maioris distinctionis, quam signa decimi, vndecimi, ac duodecimi gradus, et haec maioris distinctionis, quam signa decimi tertii gradus. Vti ergo in republica homines, quo maioris sunt distinctionis, eo splendidioribus quoque titulis ornari solent; ita etiam translata est haec metapho-

ra

ra ad accentus, ac signa primi et secundi gradus dicuntur imperatores, signa tertii, quarti, et quinti gradus reges, signa sexti, septimi, octaui, et noni gradus duces, signa vero decimi, vndecimi, ac duodecimi gradus comites. Quatenus vero accentus titulo quodam magnifico insigniuntur, eatenus ipsis tribuitur dignitas.

COR. Quicunque ergo accentus iisdem titulis insigniuntur, eiusdem sunt dignitatis, quicunque vero accentus diuersis titulis condecorantur, diuersae etiam sunt dignitatis.

SCHOL. Sic e. g. rex et rex sunt eiusdem dignitatis, rex vero et dux diuersae.

§. XX.

Signis vero decimi tertii gradus nulla peculiaris competit dignitas; nonnunquam enim sunt reges, nonnunquam duces, nonnunquam comites, ac denique nonnunquam barones: ideoque determinandum nobis est, quando sint huius, et quando illius dignitatis. Antequam vero hoc fiat, termini quidam nobis sunt explicandi.

§. XXI.

In lectione initium fit ab initio versus, in accentuatione vero a fine versus incipimus; ideoque, si adfuerint voces A. B. C. D., ac apud A. fuerit finis versus, accentus, qui est apud A, praecedit s. primus est, accentus, qui est apud B, secundus, et

et sequens est, accentus, qui est apud C, tertius, et qui est apud D, quartus; vox vero D, praecedit, seu prima est, C. sequens, ac secunda, et sic porro.

SCHOL. Non ignoro quidem, accentuatoribus familiare esse distinguere inter vocem praecedentem, ac primam, nec non inter accentum praecedentem, ac primum. Vocem nimirum (accentum) praecedentem nominant, quae (qui) praecedit, si terminus a quo sit initium versiculi. Vocem vero (accentum) primam (primum) appellant eam (eum), quae (qui) praecedit, si terminus a quo est finis versus. Quia vero principia nostra non requirunt, vt hoc modo distinguamus, vocabulis hisce, quae in se sunt synonima, in sequentibus vt synonimis vtemur.

§. XXII.

Si inter accentus A. et B. nullus est accentus, qui vel eundem, vel maiorem distinctionis gradum indicet, et A, incipiendo a fine versus, praecedit τὸ B, A immediate praecedere dicitur τὸ B, et B immediate sequi τὸ A.

SCHOL. Sic exempli gratia 1 Reg. XXI, 22. Sakeph Katon in voce הַכְעַסְתָּ immediate praecedit paschtam in voce הַכְעַס, et Silluk cum Soph pasuk in voce בְּיִשְׂרָאֵל immediate praecedit Tiphcham in voce וְעָוֹוב v. 21.

§. XXIII.

Signum quoddam decimi tertii gradus aut

aut immediate praecedit accentus distinctiuus maioris dignitatis quam comes, aut non. Si prius, signum hoc decimi tertii gradus est immediate minoris dignitatis quam praecedens ille accentus; si vero posterius, signum hoc decimi tertii gradus dicitur baro.

COR. Signum igitur quoddam decimi tertii gradus, quod immediate praecedit imperator, est rex (§. 19.), et, quod immediate praecedit rex, est dux (§. cit.), et quod immediate praecedit dux, est comes (§. cit.), et, quod denique immediate antecedit comes, aut baro, est baro.

SCHOL. I. Alii quoque distinguere solent accentus decimi tertii gradus in legatos, et vicarios. Quia vero non video, quid haec distinctio ad explicandam de accentibus conferat doctrinam, in sequentibus ab hisce terminis prorsus abstinebimus. Vt tamen animi auditorum praeparentur, ad alios etiam accentuatores intelligendos, quid haec sibi velit distinctio, in praelectionibus explanabimus.

SCHOL. II. Explicauimus hactenus, quantum nexus gradum, ac quamnam dignitatem denotent accentus decimi tertii gradus (§. 12. et §. hoc). Quum vero accentus decimi quarti gradus eadem gaudeant cum accentibus decimi tertii gradus figura (§. 12.), ex figura illorum non possum determinare, num decimi tertii, an decimi quarti gradus sint accentus.

Ergo

Ergo ex aliis id ostendendum est principiis, quae nunc suppeditabimus.

§. XXIV.

Ebraei tam accurati sunt in distinguendo, vt nunquam plures voces, quam duas, in decimo quarto gradu coniungant. Si vero duae voces coniunctiuo notatae sese immediate exciperent, plures voces, quam duae in decimo quarto gradu coniungerentur (§. 17.); si ergo duae voces, signo, quod coniunctiuum denotare potest, instructae, sese immediate excipiunt, vnum illorum signorum non est signum coniunctiui: signa vero, quae coniunctiuos indicare possunt, praeter hos, nullum alium gradum determinare possunt, quam decimum tertium (§. 12.). Ergo vnum illorum est signum decimi tertii gradus.

COR. Eadem ex ratione, si tres voces immediate sese excipiunt signis, quae alias coniunctiuorum sunt, notatae, saltem vnum illorum est signum decimi tertii gradus, ac, si quatuor eiusmodi voces occurrunt, duo illorum signorum sunt signa decimi tertii gradus. Et sic porro.

§. XXV.

Quinam vero ex duobus huiusmodi accentibus sit coniunctiuus, et quinam sit signum decimi tertii gradus, ex contextu aestimandum est, ac ille, qui vocibus appositus

situs est, quae magis cohaerent, est coniunctiuus, ille vero, qui vocibus appositus est, quae minus cohaerent, est signum decimi tertii gradus (§. 12.).

SCHOL. Exemplo rem illustrabimus. Ioel 4. v. 18. duae se immediate excipiunt voces, signis, quae alias coniunctiuorum sunt, notatae, dum ibi dicitur בַּיּוֹם הַהוּא וְהָיָה, בַּיּוֹם vero magis cohaeret cum הַהוּא, quam cum וְהָיָה; quia ergo vnus illorum est signum decimi tertii gradus (§. 24.), necessario inde efficitur nexu, Tlischam Ktannam, qui appositus est voci והיה, esse signum decimi tertii gradus, et quidem Baronem (§. 23. cor. §. 12. et §. 19.).

§. XXVI.

Coniunctiuis vero nulla plane tribuitur dignitas, sed quilibet eorum dicitur seruus eius, quem immediate sequitur, distinctiui; ideoque seruum definire possumus, quod sit coniunctiuus, accentum quendam distinctiuum immediate sequens.

SCHOL. I. Sic e. g. Ezech. VII. 23. coniunctiuus Munach (§. 12. et 17.) in voce מִשְׁפָּט est seruus תֹּ Sakeph Katon in voce דָּמִים.

SCHOL. II. Makkepho vero tantum abest, vt aliqua adscribatur dignitas, vt potius plures voces, eo copulatae, simpliciter pro vnica voce in accentuatione habeantur, ac

praeterea ad Makkeph, iis interpositum, plane non attendatur.

SCHOL. III. Egimus hactenus de dignitatibus, quae accentibus tribuuntur; nunc vero determinabimus, quisnam accentuum in eiusmodi dignitatibus superior sit, et quisnam illorum sit inferior.

§. XXVII.

M. I. Silluk et Athnach soli sunt imperatores (§. XIX. et XX.); Silluk vero est maioris distinctionis, quam Athnach (§. 12.): Ergo Silluk est imperator primus s. princeps, Athnach vero secundus, seu minus princeps.

M. II. Sgholta, Sakeph Katon (Sakeph Gadhol), et Tiphcha soli semper sunt reges (§. XIX. et XX.); Sgholta vero est maioris distinctionis, quam Sakeph Katon, (Sakeph Gadhol), et Sakeph Katon (Sakeph Gadhol) maioris distinctionis, quam Tiphcha (§. XII.): Ergo Sgholta est rex primus, seu maximus, Sakeph Katon (Sakeph Gadhol) rex secundus, Tiphcha vero tertius, seu infimus.

M. III. Rbhia (Psik Schalscheleth), Sarka, Paschta (Ithibh), Tbhir (Merca Chphula) soli semper sunt duces (§. XIX. et XX.); Rbhia vero (Psik Schalscheleth) maioris est distinctionis, quam Sarka, et Sarka maioris distinctionis, quam Paschta (Ithibh),

(Ithibh), ac Paſchta (Ithibh) maioris diſtinctionis, quam Tbhir (Merca Chphula) (§. XII.): Ergo Rbhia (Pſik Schalſcheleth) eſt dux ſummus ſ. primus, ſarka ſecundus, Paſchta (Ithibh) dux tertius, ac denique Tbhir (Merca Chphula) dux quartus, ſeu infimus.

M. IV. Paſer (Karne Phara), Tliſcha Ghdhola, et Gereſch (Garſchajim) ſoli ſemper ſunt comites (§. XIX. et XX.); Paſer vero, (Karnephara) maioris eſt diſtinctionis, quam Tliſcha Ghdhola, et Tliſcha Ghdhola maioris diſtinctionis, quam Gereſch (Garſchajim) (§. 12.): Ergo Paſer (Karnephara) eſt primus, ſeu princeps comes, Tliſcha Ghdhola ſecundus, atque Gereſch (Garſchajim) tertius, ſeu infimus comes.

COR. Intelligi inde poteſt, quare Silluk cum Soph Paſuk ſemper debeat eſſe in fine verſus; et Athnach in medio verſus, ſemper ibi, vbi maxima eſt diſtinctio.

SCHOL. Ceterum et hic monendum, quod §. XII. Schol. monuimus.

§. XXVIII.

Gradus quartus, ſextus, octauus, nonus, decimus, duodecimus, decimus tertius, ac decimus quartus pluribus indicantur accentibus (§. 12.). Vbicunque ergo ex pluribus eiusmodi accentibus, qui vnum,

eundemque designant nexum, accentus quidam adest, ibi etiam reliqui eiusdem gradus accentus, saluo vocum nexu, adesse possunt. Si ergo vnus illorum in voce quadam adfuerit, reliqui vero, qui eundem nexus gradum designant, minus; ratio, cur hic potius, quam alius quidam eiusdem gradus adsit accentus, non potest latere in valore illorum, nexum indicandi. Si ergo accentus quidam ex accentibus quarti, sexti, octaui, noni, decimi, duodecimi, decimi tertii, ac decimi quarti gradus voci cuidam adpositus est, ratio, cur hic potius, quam alius, qui eundem nexus designat gradum, adsit, ex alia quadam accentuum affectione, alioque ipsorum repetenda est valore, quem nunc determinabimus.

§. XXIX.

Iudaei, non solum, ab antiquissimis temporibus, sacrum veteris testamenti codicem, secundum accentus, modulati sunt, sed id etiam faciunt adhuc, et quidem ita, vt cuilibet accentui peculiaris quaedam respondeat melodia; accentibus ergo, praeter valorem nexum vocum indicandi, competat, necesse est, valor modulationem vocum determinandi, seu, vti eum nominare consueuerunt, musicus.

§. XXX.

§. XXX.

Assertum hoc nostrum non proletariis sane nititur rationibus. Confirmatur enim illud tum testimoniis, ex Talmude depromptis, tum testimoniis aliorum Rabbinorum. In Talmude Babylonico, et quidem in tractatu מגלה cap. IV, fol. 32. col. 1, sequentia, hanc in rem, verba exstant: אמר רבי שפטי אמר רבי יוחנן הקורא בלא נעימה ושונה בלא זימרה עליו הכתוב אומר וגם אני נתתי להם חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם Dixit Rabbi Schaphti ex ore Rabbi Iochananis: de eo, qui sacrum codicem legit sine suaui modulatione, aut Mischnam legit absque cantu, explicandum esse illud summi numinis effatum, quod exstat Ezech. XX, v. 25. Et etiam ego dedi eis statuta non bona, et iudicia, per quae non viuent. Vbi ad verba בלא נעימה ita commentatur Raschi: כגון טעמי המקראות i. e. sine eiusmodi suaui modulatione, quae determinari solet ab accentibus, sacris pandectis adiectis. Ceterum neminem offendet, quod vocem הקורא, quae per se tantummodo legens significat, transtulerimus per legens in scriptura, ac שונה, quod per se tantummodo, inter alios significatus, discens denotat, per discentem, seu legentem in Mischna. Quod enim ad הקורא attinet, si simpliciter ponitur, sub significatione legendi, denotat le-

gentem במקרא, seu in scriptura, שונה vero, quando docere, seu discere significat, ac simpliciter ponitur, denotat legentem in Mischna, vti ex innumeris Talmudis locis probari facile posset, si finis, qui nobis, hoc in opusculo, propositus est, id permitteret. Si in primis spectes vocem שנה, sequentia in eam in commentario gemarico, Tosephot dicto, verba deprehenduntur: שהיו רגילין לשנות המשניות בזמרה לפי שהיו שונין אותן על פה ועדיין כך היו נזכרין יותר i. e. solebant enim legere theses talmudicas cum cantu, propterea, quia memoriae illas mandabant, ac hac ratione non tam facile ex mente effluere poterant. Idem etiam patet ex libro טוב טעם Eliae leuitae Cap. II., vbi ad quaestionem, quam ipse sibi proponit, quare vnus idemque nexus gradus pluribus designetur signis, hunc in modum respondet: ויש להשיב כי הטעמים לא נעשו להורות על ההפסקה או על המשכת הענין לבד כמו שחשבו רבים כי גם להורות על הניגון ועל השיר להנעים את הקריאה וגו' i. e. Sed respondendum est, accentuum officium non in eo tantum consistere, quod doceant, quaenam sint distinguenda, aut coniungenda, vti multi sibi persuadent; sed etiam in eo, quod determinent modulationem, ac cantum, ad suauiorem redden-

dendam lectionem etc. ac paucis, quae, vt adducamus, non ducimus neceſſarium, interiectis, conſuetudinem Hiſpanorum exterorumque improbat, vtpote qui ſeruos fere omnes eodem modo modulantur: et haec denique ſubiungit verba: אבל אין אנחנו האשכנזים עושים כך אך קורין אנחנו כל טעמים בין מלך בין משרת בנגון המיוחד לו i. e. Nos vero germani non facimus ita, ſed legimus omnes accentus, ſiue reges ſint, ſiue ſerui, ſecundum modulationem ei propriam.

§. XXXI.

Accentibus praeter valorem nexum indicandi etiam competit valor muſicus (§. XXIX. §. XXX.). Praeter valorem vero nexum vocum indicandi, ac muſicum, vt accentibus valorem quendam tribuamus, nullam habemus rationem; Quidquid ergo apud accentus, formaliter ſpectatos, notandum occurrit, aut ex valore illorum nexum vocum indicandi, aut ex valore illorum muſico, aut ex vtroque ſimul explicandum eſt.

COR. Quidquid ergo ex valore accentuum nexum indicandi explicari nequit, ex valore illorum muſico explicetur, neceſſe eſt.

SCHOL. Ex duplici hoc accentuum valore luculentiſſime patet, quam ob cauſſam duplex accentibus fuerit nomen impoſitum. Non enim appellantur ſolum טְעָמִים, ſed etiam

נְגִינוֹת, vnde etiam celebris ille liber שער הנגינות nomen suum sortitus est. טעמים scilicet nominantur respectu valoris illorum nexum vocum, adeoque sensum determinandi, טעם enim etiam sensum Rabbinis denotare solet; נגינות vero dicuntur ratione valoris illorum musici. Hoc enim vocabulum significat pulsationes fidium, ac modulationes. Valor vero accentuum tonicus (§. XV. cor.), quum modulationi inseruiat, commode ad valorem illorum refertur musicum.

§. XXXII.

Quum ex pluribus accentibus eiusdem gradus vnus adest, id ex valore accentuum nexum indicandi explicari nequit (§. XXVIII,); Quum ergo ex pluribus accentibus eiusdem gradus vnus adest, id ex valore illorum musico deriuandum est (§. praec. cor.).

SCHOL. Intelligi inde potest, quare in plerisque eiusmodi casibus accentus adpositi sint pro conditione syllabarum, cuius in modulatione praecipua ratio habetur. Sic, exempli gratia, ex signis octaui gradus (§. XII.) adest Ithibh, quando nullus immediate sequitur coniunctiuus, aut distinctiuus immediate minoris dignitatis, ac vox, cui vnus ex accentibus hisce octaui gradus est apponendus, est dissyllabica, sed penacuta, aut, si fuerit monosyllabica, non incipit a Schua; si vero nulla harum conditionum adfuerit, adest Paschta

ta. Intelligi porro inde potest, quare non quilibet coniunctiuus possit esse seruus cuiuslibet distinctiui, vti ex adiecta tabula patet; non cuiusuis scilicet coniunctiui modulatio cuiuslibet distinctiui, si eum immediate sequeretur, conueniens esset modulationi. Concipi praeterea inde potest, quare ex iis coniunctiuis, qui soli distinctiuum quendam immediate sequi possunt, (id quod ex tabula patet), hic praecise, in obuio quodam casu, sequatur; quia scilicet modulatio huius coniunctiui, istis sub circumstantiis, modulationi illius distinctiui est conuenientissima.

§. XXXIII.

Veram valoris musici rationem hodie, nisi prorsus, maxima tamen ex parte, ignoramus; ideoque ignotum nobis quoque est, quonam pacto id, quod ex pluribus accentibus eiusdem gradus hic adsit, nec alius quidam eiusdem gradus, ex valore accentuum musico deriuandum sit. Qua accentuatores adducti ratione, id in primis egerunt, vt defectum hunc supplerent. Abstrahendo, hunc in finem, conditiones, sub quibus ex accentibus eiusdem gradus hic adsit, et sub quibus adsit alius, inuestigare conati sunt. Inuenerunt has conditiones, quoad quosdem eiusmodi accentus, ratione vero quorundam eas inuenire adhuc nondum potuerunt. Eae vero, quas iam inuenerunt, conditiones, maxi-

mam partem, ex ratione syllabarum desumtae sunt, vti ex illorum de accentibus Ebraeorum scriptis eluceſcit.

§. XXXIV.

Vt conditiones, sub quibus ex accentibus eiusdem gradus hic, et sub quibus alius quidam eiusdem gradus adsit, adducamus, non est necesse.

Dem. Quum enim, ex pluribus, qui eundem nexus gradum indicant, accentibus, vnus adest, ratio, cur hic potius, quam alius quidam eiusdem gradus adsit, ex solo valore illorum musico repetenda est (§. XXXII.). Si ergo id, quod sciam, quibus sub conditionibus ex accentibus eiusdem gradus hic adsit, et quibus sub conditionibus alius eiusdem gradus, aliquem praestat in accentuatione vsum, hic vsus solummodo locum habere potest ratione valoris illorum musici. Ergo ex eiusmodi conditionibus vel tantummodo scio, praesentiam eiusmodi accentus ex valore musico explicandam esse, vel etiam inde scio, quomodo praesentia talis accentus ex valore musico deducenda sit; posterius non est: omnes enim, qui has conditiones vel ad amussim callent, fateri tamen tenentur, se veram rationem valoris accentuum musici ignorare. Ideoque, positis licet omnibus istis conditionibus, nescimus tamen, quomodo praesentia talis accen-

accentus ex valore accentuum musico deriuanda sit. Prius vero concedo, sed tantummodo particulariter; concedo nimirum, vt mentem meam clarius exprimam, ex illis conditionibus perspicere nos posse, praesentiam eiusmodi accentus ex valore accentuum musico deducendam esse: quia scilicet pleraeque illae conditiones ex syllabarum ratione, quae in modulatione potissimum respicitur, depromptae sunt (§. XXXIII.). Cum vero illae conditiones ad quosdam tantum spectent eiusdem gradus accentus; ex illis etiam tantummodo ratione quorundam eiusdem gradus accentuum perspicio, si vnus illorum adsit, id ex valore illorum musico explicandum esse. Nos vero §. XXXII. id absque hisce conditionibus de omnibus eiusdem gradus accentibus demonstrauimus. Cum ergo, quod per id, quod sciamus, quibusnam sub conditionibus ex accentibus eiusdem gradus hic adsit, et quibus sub conditionibus adsit alius eiusdem gradus, obtinere possumus, etiam ab ignorante has conditiones obtineri possit, et quidem longe breuiori, ac perfectiori via; vt conditiones, sub quibus, ex accentibus eiusdem gradus, hic adsit, et sub quibus adsit alius eiusdem gradus, adducamus, non est necessarium,

SE-

SECTIO TERTIA.

DE VALORE ACCENTVVM PROSAICORVM NEXVM VOCVM INDICANDI IN SPECIE.

§. XXXV.

Saepisſime deprehendimus accentus, arctum indicantes nexum, vocibus, arcto nexu grammatice copulatis, appoſitos, e. g. vocibus, in ſtatu conſtructo poſitis, (Ioſ. 2. v. 3. מֶלֶךְ יְרִיחוֹ et Ieſ. 49. v. 23. וַעֲפַר רַגְלֶיךָ). Saepisſime quoque inuenimus accentus, arctum indicantes nexum appoſitos vocibus, logice arcto nexu copulatis, e. g. vt ſubiectum, et praedicatum (Ioſ. 2. v. 1. וְשִׁמְהּ רָחָב Ieſ. 66. v. 1. אָמַר יְהוָה). Animaduertimus porro accentus, minorem indicantes nexum, vocibus, inter quas minor nexus, tum logice, tum grammatice ſpectatas, intercedit, adiectos (Ieſ. 61. v. 9. יַכִּירוּם כִּי Ier. 7. v. 4. לֵאמֹר הֵיכַל). Ergo accentibus tribuendus eſt valor nexum grammaticum ac logicum indicandi (§. I.).

§. XXXVI.

Reperimus praeterea accentus, vocibus appoſitos, tam arctum indicantes nexum, qualem voces illae, nec logice habent (Eccleſ. II. 25. כִּי מִי et v. 23. כִּי כָל־ Gen. XLIX. 18. קִוִּיתִי יְהוָה Iobi 34. v. 16.

v. 16. וְאִם־בִּינָה Iob. XXI. v. 4. וְאִם־מָוֹעַ Pſ. VI. 3. כִּי־אֻמְלַל). Offerunt nobis ſe denique quoque accentus, vocibus appoſiti, qui minorem indicant nexum, quam, quo, ſi eas grammatice, et logice conſideres, copulatae ſunt (Gen. VII. 20. וַיְכַסּוּ הֶהָרִים Gen. VII. 21. וְכָל הָאָדָם). Ergo per eiusmodi accentus neque nexus grammaticus, neque logicus illarum vocum indicatur; ideoque per illos deſignetur, neceſſe eſt, nexus, a grammatico et logico diuerſus (§. I.).

§. XXXVII.

Qualis vero ſit ille nexus, a grammatico et logico diuerſus, quem accentus illi, dictis ſub circumſtantiis, deſignant, ita determino: Quicunque ita, vti decet, ac ſine affectu loquitur, ille voces ita connectit, vt nexus illarum grammaticus, ac logicus requirit. Quicunque ergo voces non ita connectit, vt nexus illarum grammaticus ac logicus requirit, ille aut minus accurate, aut cum affectu loquitur. Quicunque ergo voces magis aut minus connectit, quam illarum nexus grammaticus ac logicus requirit, ille aut minus accurate, aut cum affectu loquitur; quum vero vocibus in ſacro V. T. codice accentus ſunt appoſiti, qui maiorem aut minorem nexum indicant, quam quo illae voces grammatice, ac logice cohaerent, voces illae

illae magis, aut minus sunt connexae, quam nexus illarum grammaticus, ac logicus requirit: quum ergo vocibus in veteri instrumento accentus sunt appositi, qui maiorem aut minorem nexum indicant, quam quo voces illae grammatice, ac logice cohaerent, voces illae aut minus accurate connexae sunt, aut ob affectum. Prius est absurdum, ac primis de scriptura, diuinitus inspirata, repugnat principiis; quum ergo vocibus, in veteri foedere accentus sunt appositi, qui maiorem, aut minorem nexum indicant, quam, quo voces illae grammatice, ac logice cohaerent, inter voces illas intercedat, necesse est, nexus ob affectum talis, seu, vti eum appellare moris est, rhetoricus.

COR. I. Triplex ergo tantummodo nexum vocum indicandi accentibus tribuendus est valor, valor nimirum indicandi nexum grammaticum logicum (§. 35.), ac rhetoricum.

COR. II. Quidquid ergo ratione accentuum, formaliter spectatorum, notandum occurrit, ex valore illorum nexum grammaticum, logicum ac rhetoricum determinandi, et denique ex valore illorum musico (§. 31.) deriuandum est.

SCHOL. Facile ergo quilibet perspiciet, quare maxime Venerandus noster Hallbauer, in elegantissima sua, Weimari vsui accentuationis bi-

biblicae praemissa, praefatione, sequentibus, iisque, ad rem hanc, vti par est, exprimendam aptissimis vtatur verbis: accentus V. T. vultum, immo et gestum scriptorum sacrorum exhibent. Non legere, sed videre te putares.

§. XXXVIII.

Si in oratione quadam occurrit, A et C, et his interpositum est, vberioris explanationis gratia, B, ita, vt, demto licet B, nexus inter A et C saluus maneat, B dicitur parenthesis.

§. XXXIX.

Haec vero parenthesis aut magis cohaeret cum antecedentibus, quàm cum subsequentibus, aut magis cum sequentibus, quam cum antecedentibus, aut tantum cum antecedentibus, quantum cum sequentibus. Si primum, accentus, qui est ab initio parentheseos, maiorem indicet, necesse est, nexum, quam ille, qui est a fine parentheseos (§. 2. cor.). Si secundum, ille, qui est a fine parentheseos, maiorem indicare debet nexum, quam ille, qui est ab initio parentheseos (§. cit.). Si vero tertium, seu vltimum, accentus, qui est ab initio parentheseos, tantum indicare debet nexum, quantum ille, qui est a fine parentheseos (§. 4.). Et ita etiam v. v.

SCHOL. De primo casu conferatur Exod. V. 16.

ad

ad secundum referunt Gen. XXIII. 17. 18. de tertio autem casu vide sis Ios. VI. 1.

§. XL.

Ex eo, quod voces, si immediate ad se referantur, non arcto sint nexu copulatae, non sequitur, eas non arcto nexu cohaerere; fieri enim potest, vt aliquid subintelligatur, cuius ope arcto nexu coniungantur. Explicari inde e. g. potest, quare Makkeph interpositum sit vocibus וכל et יש Gen. XXXIX. 4. item quare Mahpach adiectum sit voci עורי Ies. LI. 9. et Merca voci עץ Ies. XL. 20.

SECTIO QVARTA.

DE VALORE ACCENTVVM, NEXVM INDICANDI, QVATENVS INNEXV CVM ALIIS ACCENTIBVS CONSIDERANTVR.

§. XLI.

In sacris V. T. paginis plures sese excipiunt accentus, ac in eiusmodi consecutione ditio distinctiui A tam late patere dicitur, quam late patet tractus verborum, in quo nullus eum sequitur, aut eiusdem, aut maioris dignitatis accentus. Et quatenus ditio ei tribuitur, eatenus dicitur dominus ditionis.

COR.

COR. I. Distinctiui ergo, qui in ditione domini huius A occurrunt, minoris sunt dignitatis, quam A, ideoque dicuntur subdistinctiui τῶ A.

COR. II. Ideoque accentus, qui in domni A sunt ditione, aut sunt coniunctiui, aut distinctiui minoris dignitatis, quam A. et quidem vel immediate minoris, vel non.

SCHOL. Quis sit valor coniunctiuorum in ditione domini A, supra iam (§. 26.) est ostensum; ergo nobis solummodo determinandus restat valor accentuum distinctiuorum minoris, vel immediate, vel mediate, dignitatis, quam A, qui in ditione τῶ A degent.

§. XLII.

Ad hoc vero effectum reddendum hac, eaque tutissima, ac breuissima incedere poteris via: Si occurrit tibi ditio domini cuiusdam, quem breuitatis studio nominabimus A, conquire, quotquot in hac ditione sunt, distinctiuos immediate minoris dignitatis, quam A; quos si inueneris, illum distinctiuum immediate minoris dignitatis, quam A, qui immediate sequitur τὸ A, appella minorem subdistinctiuum τῶ A, illum, qui secundus ordine sequitur τὸ A, maiorem subdistinctiuum τῶ A, illum, qui tertio loco sequitur τὸ A, denuo, vel secundo maiorem subdistinctiuum τῶ A, illum, qui quarto loco sequitur τὸ A, tertio maiorem subdistinctiuum τῶ A, eum

vero, qui quintus sequitur τὸ A, quarto maiorem subdistinctiuum τῦ A, et eum denique, qui sexto loco sequitur τὸ A, quinto maiorem subdistinctiuum τῦ A. Si vero quis horum, immediate minoris, quam A, dignitatis, distinctiuorum, quem salutabimus B, rursus fuerit dominus ditionis cuiusdam; quaere omnes, qui hac in ditione deprehenduntur, distinctiuos immediate minoris dignitatis, quam B, ac illum, qui proxime sequitur τὸ B, appella subdistinctiuum eius minorem, illum vero, qui secundus ordine sequitur τὸ B, subdistinctiuum eius maiorem, etc. vti membro primo ostendimus. Hoc modo pergas, et sic inuenies, quinam cuilibet in quauis, quomodocunque etiam se habeat, ditione accentui valor sit adscribendus.

§. XLIII.

Ex distinctiuis, qui sunt in ditione τῦ A, ac immediate minoris sunt dignitatis, quam A, ille, qui praecedit, est minor illo, qui sequitur (§. praec.); fieri vero potest, vt ex distinctiuis immediate minoris dignitatis, quam A, ille praecedat, qui maiorem distinctionem designat, et ille, qui minoris est distinctionis, sequatur: fieri ergo potest, vt in nexu accentuum ille accentus, qui maiorem alias designat altero distinctionem, minorem illo significet, et. v. v. Vnde intelligi potest, quare §o XII. vsi simus voce *solet*.

COR.

COR. Eadem ratione haud difficile erit perſpectu, qui fieri poſſit, vt accentus quidam maior ſit ſe ipſo.

SCHOL. Ad primum quod attinet; exempli vices gerere poſſunt Gen. XXVII. 37. Michae VI. 5. Exodi XXIX. 22. quoad poſterius vero euolui poſſunt Exodi III. 1. Deut. IV. 38. Gen. III. 22. Gen. VII. 11.

SECTIO QVINTA.

DE ACCENTVATIONE METRICA IN SPECIE, IN QVA AGITVR DE VALORE ACCENTVVM METRICORVM, GENERATIM SPECTATO.

§. I.

In libris metricis vndecim occurrunt nexus gradus; Ergo in accentuatione metrica vndecim occurrant, neceſſe eſt, diuerſi accentus, quatenus ſunt ſigna horum nexuum (§. 10. pr.). Ex quibus.

Primum ac minimum.
nexus gradum indicare ſolet :—— Silluk cum Soph Paſuk.

ſecundum gradum - - —— Merca Mahpachatus.

tertium - - —— Athnach.

quartum - - —— Rbhia Gereſchatus.

quintum - - ——— Rbhia ſimplex.

ſextum - - ——— Sarka poſtpoſitiuus.

ſeptimum - - ——— Tiphcha anterior.

octauum - - ——— Paſer.

nonum - - ——— Pſik Schalſcheleth.

——— Schalſcheleth.

——— Pſik Kadmatus.

——— Pſik Mahpachatus

——— Pſik Munachatus.

——— Pſik Mercatus.

et ſigna decimi gradus.

decimum gradum - - ——— Merca.

——— Munach inferior.

——— Munach ſuperior.

——— Mahpach.

——— Kadma.

——— Tiphcha tonicus.

——— Ierach.

vndecimum gradum - - Makkeph.

SCHOL. I. Inter accentus decimi gradus referri etiam ſolet ——— Sarka, quem appellant conſeruum, quia in eadem cum ſeruo Mahpach aut Merca comparet voce, (occupat vero hic Sar-

Sarka, si immediate ante tonum praecesserit syllaba, vocali longa, aut breui, pro longa alternante, instructa, etc. syllabam hanc, conf. Ps. X. 3. 5.); sed ex iis, quae infra, de accentuatione, vti aiunt, duplici, demonstrabimus, luce meridiana constabit clarius, Sarkam hunc esse meram notam musicam, adeoque accentibus, proprie sic dictis, nullo modo annumerari posse (§. 1. pr.).

SCHOL. II. Ceterum, vti §o XII. pr. Schol., notetur et hic vox *solet*.

§. II.

Qui fieri possit, vt nonus nexus gradus indicetur accentibus decimi gradus, patet ex §o III. cor. II. pr. Quo vero pacto fieri possit, vt nonus et decimus gradus pluribus accentibus designentur, perspici facillimo negotio poterit ex §o V. cor. 2. pr. Vndenam autem explicandum sit, si ex signis noni et decimi gradus hoc potius adsit, quam aliud, eodem modo demonstrari potest, quo in prosaica (§. 32.) id factum est. Eadem non minus via, quam quam in prosaica (§. 34.) ingressi sumus, probatu haud erit difficile, non esse necessarium, vt conditiones, sub quibus hic ex eiusmodi accentibus adsit, et sub quibus adsit alius eiusdem gradus, in medium proferamus. Quando vero figurae decimi gradus sint signa noni gradus, et quan-

do sint signa decimi gradus, infra ostendemus.

§. III.

Omnes metrici accentus occupant syllabam tonicam, praeter Tiphcham anteriorem, (qui ita dicitur, quia semper sub prima vocis littera, et quidem ante eius Schua Pſ. VI. 4. וְנַפְשִׁי vel vocalem נַפְשִׁי Pſ. CIII. 1. ac, si plures voces fuerint per Makkeph copulatae, sub prima littera vltimae vocis deprehenditur,) ac Sarkam postpositiuum, ita appellatum, quia in vltima semper vocis littera residet. Vnde facili negotio intelligi potest discrimen inter Tiphcham anteriorem, et Tiphcham tonicum, nec non inter Sarkam postpositiuum, ac Sarkam conseruum (§. 1. sch.).

§. IV.

Omnes accentus vnica tantum accentus figura constituuntur, praeter Rbhiam Gereschatum, et Mercam Mahpachatum; ideoque hi duo vocantur compositi, reliqui vero simplices. Ex his vero compositis accentibus Rbhia Gereschatus ita ponitur, vt Rbhia in prima syllabae tonicae, Gereschvero in prima vocis resideat littera (Pſ. LXI. 7. שְׁמוֹתָיו); Merca vero Mahpachatus ita, vt Merca sit in syllaba tonica. Hanc vero in eadem voce aut praecedit syllaba alia, aut non. Si prius, ibi ponitur Mah-

Mahpach, (Pſ. LXIII. 12. בֵּאלֹהִים) ſi vero poſterius, in ſyllaba vltima praecedentis vocis aut eſt tonus, aut non. Si prius, Mahpach in eadem cum Merca eſt Syllaba (Pſ. LXXX. 15. שׁוּב נָא) Si vero poſterius, Mahpach eſt in vltima Syllaba praecedentis vocis Iob. III. 6.

§. V.

Makkeph voces tam arcto nexu copulat, vt, poſito hoc nexu, voces, quibus interpoſitum eſt, non vt duae, ſed vt vnica tantum vox ſint legendae (§. 16. pr.); id quod in reliquis accentibus longe aliter ſe habet. Qua adducti ratione, quae de Makkeph dicenda, ſuo quaelibet loco, quae vero de ceteris accentibus notanda ſunt, nunc adducemus.

SCHOL. Notari tamen hic poteſt, Makkeph nonnunquam omiſſum eſſe, ex accentuum patere conditione e. g. Pſ. VI. 3. Pſ. XLIX. v. 15.

§. VI.

Si abſtrahatur ergo a Makkeph, ſigna decimi gradus maiorem indicant nexum, quam ſigna omnium reliquorum graduum (§. 1.), ideoque ſigna decimi gradus per eminentiam appellantur coniunctiui: reliquorum vero omnium graduum accentus, quia minorem nexum, adeoque maiorem diſtinctionem indicant, quam accentus de-

cimi gradus, itidem, eminenti quodam modo, dicuntur distinctiui.

§. VII.

Inter hos vero distinctiuos signum primi gradus minorem indicat nexum, quam signa secundi, tertii, et quarti gradus, ac haec minorem, quam signa quinti, sexti, et septimi gradus, et haec minorem, quam signum octaui gradus, et hoc denique minorem, quam signa noni gradus (§. 1.). Quo minor vero est nexus, eo maior est distinctio; signum igitur primi gradus maioris est distinctionis, quam signa secundi, tertii, et quarti gradus, et haec maioris, quam signa quinti, sexti, et septimi gradus, et haec maioris, quam signum octaui gradus, atque hoc denique maioris distinctionis, quam signa noni gradus. Quemadmodum ergo in republica, pro ratione maioris, vel minoris distinctionis, tituli etiam maiores, et minores esse solent, ita quoque hoc factum est ratione accentuum; ideoque signum primi gradus dicitur imperator, signa vero secundi, tertii, et quarti gradus dicuntur reges, signa quinti, sexti, et septimi gradus duces, ac signum denique octaui gradus comes appellatur. Signis vero noni gradus nulla peculiaris tribui potest dignitas; si enim imperator immediate praecedit signum quoddam noni gradus, signum il-

est

lud est rex, si rex immediate praecedit, est dux, si dux immediate praecedit, est comes, si comes immediate praecedit, est baro, ac si baro immediate praecedit, itidem est baro.

SCHOL. Id quod etiam quodammodo imitantur Rbhia simplex, et Paser, qui semper sunt immediate minoris dignitatis, quam accentus maioris dignitatis, qui proxime praecedit. Conf. Ps. XXV. 1.

לְדָוִיד אֵלֶיךָ יְהוָה נַפְשִׁי אֶשָּׂא׃

et Ps. XXXXV. 8.

מְשָׁחֲךָ אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ

et Prou. I. 10.

בְּנִי אִם־יְפַתּוּךָ חַטָּאִים

§. VIII.

Quia vero figurae decimi gradus etiam signa esse possunt noni gradus (§. 1.), determinandum nobis est, quando sint signa noni, et quando sint signa decimi gradus. Hoc vero ita fiat. Ebraei nunquam in metricis plures, quam duas voces in gradu decimo coniungunt; si vero duae voces sese immediate excipierent, signis decimi gradus notatae, plures, quam duae voces in decimo gradu coniungerentur: nunquam ergo in metricis duae sese immediate excipiunt voces, signis decimi gradus instructae. Si ergo in metricis duae se im-

mediate sequuntur voces, figuris decimi gradus notatae, vna illarum figurarum non est signum decimi gradus. Figurae vero decimi gradus non nisi noni et decimi gradus signa esse possunt (§. 1.); si ergo in metricis duae se immediate sequuntur voces, figuris decimi gradus instructae, vna illarum figurarum est signum noni gradus. Quaenam vero ex duabus illis figuris sit signum noni, et quaenam sit signum decimi gradus, ex contextu determinandum est, ac illa, quae vocibus interposita est, quae magis cohaerent, est signum decimi gradus, s. coniunctiuus (§. 1. et 6. et §. 2. cor. pr.), illa vero, quae vocibus interiecta est, quae non tantopere cohaerent, est signum noni gradus (§. cit.)

SCHOL. I. Exempli gratia, quum Ps. LXXV. 10. dicitur קַרְנֵי רְשָׁעִים אַגְדִּיעַ duae se immediate excipiunt voces, figuris decimi gradus notatae (§. 1.), ideoque vna illarum figurarum est signum noni gradus, ac quia vox קרני magis cohaeret cum רשעים, quam רשעים cum אגדיע, figura decimi gradus, τῷ קרני apposita, est signum decimi, figura vero decimi gradus, τῷ רשעים adiecta, est signum noni gradus, et quidem dux (§. praec. et §. 1.). conf. Ps. II. 7.

SCHOL. II. Ex dictis facile inferri potest: si tres voces sese immediate excipiant, figuris decimi gradus notatae, vnam saltem figurarum il-

illarum esse signum noni gradus, et, si quatuor sese immediate sequantur, duas illarum esse signa noni gradus, et sic porro.

§. IX.

Signis vero decimi gradus, seu coniunctiuis (§. 6.) nulla tribuitur dignitas, sed quilibet eorum est seruus eius, quem immediate sequitur, distinctiui.

SCHOL. De Makkeph vero metrico idem notandum est, quod de Makkeph prosaico obseruauimus (§. 26. Sch. 2. pr.)

§. X.

M. I. Merca Mahpachatus, Athnach, et Rbhia Gereschatus sunt reges (§. 7. et §. 1.) Merca vero Mahpachatus maioris est distinctionis, quam Athnach, et Athnach maioris distinctionis, quam Rbhia Gereschatus (§. 1.): ergo Merca Mahpachatus est rex maximus, s. primus, Athnach rex secundus, ac Rbhia Gereschatus rex tertius.

M. II. Rbhia simplex, Sarka postpositiuus, et Tiphcha anterior sunt duces (§. 7. §. 1.); Rbhia vero simplex maioris est distinctionis, quam Sarka postpositiuus, et Sarka postpositiuus maioris distinctionis, quam Tiphcha anterior (§. 1.): ergo Rbhia simplex est dux primus, seu archidux, Sarka postpositiuus dux secundus, et Tiphcha denique anterior dux tertius.

SCHOL. I. Qua vero ratione fieri possit, vt me-

metrici accentus partim diuersa a prosaicis, partim eadem cum iis gaudeant figura, (§. 12. pr. et §. 1.), sine vlla difficultate perspicere poteris ex §. 8. cor. 1. et 2. pr.

SCHOL. II. Exhibuimus hactenus valorem accentuum metricorum generatim; nostrum ergo nunc esset, de valore illorum, nexum indicandi in specie, ac de valore illorum, nexum indicandi, quatenus in nexu cum aliis accentibus spectantur, agere, vti in prosaica accentuatione id fecimus, et quidem in sectione tertia, et quarta. Sed, quum, quae in sectione tertia et quarta monuimus, sint principia generalia, quae et ad prosaicam, et ad metricam adplicari possunt accentuationem; ne entia praeter necessitatem multiplicentur, hac de re plura verba facere, e re nostra esse, minime putamus. Applices ergo, quae ibi dicta sunt, et hic, et, illas duas sectiones etiam hic adiectas esse, censeto.

SECTIO SEXTA.

DE DVPLICI, VT AIVNT, ACCENTVATIONE, GENERATIM AGENS.

§. I.

Haec propositio: si duae voci cuidam adiectae sunt accentuum figurae, ambae indicant nexum eius vnicum ita, vt, posita vna

vna illarum, idem ponatur eius nexus, qui, positis ambabus, maiori cum probabilitate negatur, quam affirmatur.

Dem. Qui enim hanc propositionem affirmat, contendat, necesse est, auctorem accentuum aliquid superuacanei posuisse, adeoque tribuit ei imperfectionem; qui vero illam negat, remouet ab eo hanc imperfectionem: hoc vero maiori cum probabilitate fit, quam illud (per princ. dialectica). Ergo haec propositio: si duae voci cuidam adiectae sunt accentuum figurae etc. maiori cum probabilitate negatur, quam affirmatur.

§. II.

Haec propositio: Si duae voci cuidam appositae sunt accentuum figurae, ambae indicant nexum eius vnicum ita, vt nexus, quem vna illarum indicat, totus addendus sit toti nexui, quem residua designare solet, maiori cum ratione negatur, quam affirmatur.

Demonstr. Adducere enim possumus voces, duabus instructas accentuum figuris, de quibus certo scimus, duas illas, illis appositas, accentuum figuras non ita vnicum earum nexum indicare, vt nexus huius figurae totus addendus sit nexui illius figurae toti; id quod hunc in modum probo: si sensus apud vocem A non est tam completus, quam apud vocem B, apud A minor est distinctio, quam apud vocem B.

Atqui

Atqui Exodi XX. apud voces עברים v. 2. פני v. 3. לארץ v. 4. לשנאי v. 5. sensus non est tam completus, quam apud vocem מצותי v. 6. apud hanc enim est finis praecepti, apud illas vero minus; ergo apud voces עברים, פני, לארץ, לשנאי minor ponenda est distinctio, quam apud vocem מצותי. Si vero ex duabus accentuum figuris, quas hisce vocibus adiectas conspicere licet, nexus vnius figurae totus addendus esset nexui superstitis figurae toti, contrarium potius statuendum esset. Quis enim quaeso non videt, Sillukum, cum Rbhia, v. 2. 3. et 4. et cum Athnacho v. 5. hoc modo coniunctum, magis distinguere, quam Silluk solus v. 6.? ideoque duae figurae accentuum, vocibus istis adiectae, non vnicum earum nexum designant ita, vt nexus huius figurae totus addendus sit nexui illius figurae toti. In contrarium vero ne vnicum quidem casum adducere possumus; principia ergo dialectica requirunt, vt propositionem hanc maiori cum probabilitate negandam, quam affirmandam esse, dicamus.

SCHOL. Possemus facili negotio multos adhuc adducere casus, vbi eadem ratio, ideoque idem etiam obtinet rationatum; sed, cum ex allatis iam satis superque constet, non deesse nobis casus, vbi, id esse, certo habeamus cognitum, atque perspectum, ex adductis

clis iam, quod probandum erat, probatum est. In contrarium vero nullum adduci posse casum, tamdiu affirmabo, quamdiu mihi nullus adducetur; nec est, quod sperem, mihi vnquam vllum adductum iri. Omnes enim, huius rei periti, vltro mihi concedent, ad id probandum nulla plane nobis suppetere data. Idem etiam notes velim, quando in sequentibus, nullum in contrarium adduci posse, affirmabimus, casum.

§. III.

Probabilius est negare: si voci cuidam duae sunt accentuum figurae adiectae, illas nexum eius vnicum designare ita, vt pars nexus, quem vna illarum figurarum denotare solet, addenda sit nexui alterius figurae, quam hoc affirmare.

Demonstr. Hoc enim perfectissime, adeoque probabilissime fieret, addendo dimidium nexus huius figurae dimidio nexus illius figurae. Adducere vero possumus casus, vbi multo probabilius est hoc negare, quam asserere. Saepius enim in vna eademque voce duo deprehenduntur coniunctiui, e. g. in voce עָשָׂה Exod. XX. 6. Coniunctiui vero omnes aequalem indicant gradum (§. 17. pr. et §. 6.); quum ergo, si A et B sunt aequalia, et dimidium τῶ A additur dimidio τῶ B, C, quod inde oritur, τοῖς A et B, sigillatim sumtis, fit aequale (per princ. mathem.); sequitur: si

di-

dimidium nexus coniunctiui vnius adderetur dimidio nexus coniunctiui alterius, inde oriri nexum vnius coniunctiui. Eiusmodi vero nexus ab vno posset indicari coniunctiuo, et hanc ob rationem vnus illorum esset superfluus, ideoque auctori accentuum tribueremus aliquid inconuenientis; id quod, si contrarium affirmemus, non fit. Probabilissime ergo statuimus, esse loca, vbi dimidium nexus vnius figurae non sit addendus dimidio nexus alterius figurae (per princ. dialect.); in contrarium vero nullus, ne probabiliter quidem, adferri potest casus. Maiori ergo cum ratione, si voci cuidam duae fuerint appositae accentuum figurae, negamus, quam affirmamus: figuras illas nexum eius vnicum significare ita, vt pars nexus, qui ab hac figura indicari solet, addatur nexui illius figurae (per princ. cit.)

§. IV.

Qui hanc enunciationem: Si voci cuidam duae fuerint adiectae accentuum figurae, quaelibet illarum separatum huius vocis nexum indicat, negat, plus prae se habet probabilitatis, quam qui illam affirmat.

Dem. Saepius enim appositas vidimus voci cuidam duas accentuum coniunctiuorum figuras. Coniunctiui vero quum aequalem indicent nexum (§. 17. pr. et §. 6. m.), nexus vocis, si hae figurae separatum eius indi-

ca-

carent nexum, in vtroque nexu maneret idem, adeoque vna illarum figurarum esset superuacanea. Superuacanea vero auctori accentuum tribuenda esse, maiori iure negamus, quam affirmamus (per. princ. dial.); Ergo probabilissime dicimus: duas eiusmodi accentuum figuras non separatum vocum, quibus appositae sunt, nexum designare. Quum ergo in contrarium ne vnicus quidem, vel probabiliter, adferri possit casus; haec enunciatio: si voci cuidam duae fuerint adiectae accentuum figurae, ambae indicant nexum illius vocis separatum, maiori iure negatur, quam affirmatur (per princ. log. probab.).

§. V.

Principia logices probabilium nos affirmare iubent hanc propositionem: Si voci cuidam duae fuerint adiectae accentuum figurae, vnica tantummodo illarum est accentus reuera talis.

Demonstr. Ponamus enim ambas esse accentus; ergo ambae indicant nexum illius vocis (§. 1. pr.). Ergo vel indicant nexum eius separatum, vel vnicum. Prius maioti cum probabilitate negatur, quam affirmatur (§. praec.). Posterioris vero eadem est ratio. Si enim ambae indicant nexum vnicum, hunc indicant aut ita, vt, posita vna illarum, idem ponatur nexus, qui, positis ambabus, aut ita, vt, posita

vna illarum, non idem ponatur nexus, qui, positis ambabus. Illud maiori iure negatur, quam affirmatur (§. 1.). Si vero hoc esset, addendus esset nexus huius figurae, nexui illius figurae; ergo vel totus toti, vel non. Prius maiori cum ratione negatur, quam affirmatur (§. 2.). Posterius pari passu ambulat (§. 3.). Quum ergo plures casus non sint possibiles; sequitur, principia dialectices requirere, vt sequentem affirmemus propositionem: Si voci cuidam duae fuerint adiectae accentuum figurae, vnica tantummodo earum est accentus, proprie sic dictus.

§. VI.

Residua vero figura sine vlla ratione, vt nihil significans, assumeretur; ideoque, ad modulationem, eamque solam, determinandam, adsit, necesse est (§. 31. cor. pr.)

SCHOL. Quae cum ita sint, non est, quod in accentuatione, quam duplicem vocant, cum Reinbeckio, aliisque, abditos mysteriorum latere thesauros, nobis persuadeamus.

§. VII.

In codice sacro V. T. tam in singularibus, quam in pluribus, sese immediate excipientibus, vocibus, duae deprehenduntur accentuum figurae. Posterius in primis si spectes, vsu illud venit in decalogo Exodi 20. et deut V. ideoque duplex

ac-

accentuatio, ibi occurrens, dicitur decalogica. Nec non alibi, e. g., Gen. XXXV. 22. De priori vero plurima passim obuia sunt exempla. Ex eiusmodi ergo duabus accentuum figuris vna tantummodo est accentus, altera vero mera nota musica (§. 5. et 6.).

SECTIO SEPTIMA.

DE DVPLICI ACCENTVATIONE DECALOGICA.

§. VIII.

In decalogo plures se immediate excipiunt voces, accentuum figuris instructae, quarum vna est accentus, altera vero mera nota musica (§. praec.). Cum vero cuilibet accentui peculiaris iam respondeat melodia (§. 29. et §. 30.); quaeritur, quare in decalogo additae sint accentibus notae quaedam musicae: ad quam quaestionem nunc respondebimus.

§. IX.

Iudaei, duabus quotannis vicibus, decalogum praelegunt, vna nimirum vice in festo pentecostes, in quo datae legis memoriam celebrant, ac decem praecepta explicant, ideoque quodlibet praeceptum, vt versum, praelegunt; altera vero vice,

in menſe שבט, in quo eum ſecundum ordinem ſectionum legunt, in ſectione יתרו, (Exodi XVIII. XIX. XX.), ita, vt quemlibet verſum, vt verſum, legant. Cum vero nec omnis verſus praeceptum, nec omne praeceptum verſum efficiat; (probationis vicem gerere poſſunt tertium, et quintum praeceptum,) ſequitur: decalogum in feſto pentecoſtes aliter praelegi, quam in menſe שבט. Praelectio vero iudaeorum fit cum modulatione (§. 29. et §. 30. pr.); ergo decalogus in menſe שבט aliter decantatur, quam in feſto pentecoſtes. Quum ergo cantus ebraeorum inſtituatur ſecundum accentuum figuras (§. cit.); quatenus hae modulationes a ſe inuicem differunt, diuerſae adſint, neceſſe eſt accentuum figurae (§. 2. pr.): quatenus vero hae duae modulationes inter ſe conueniunt, eatenus vnica tantum adſit neceſſe eſt eiusmodi figura (§. IV. pr.).

§. X.

Nos vero ea, quae §o praecedenti diximus, non ſine ratione affirmaſſe, eluceſcit ex libro חזקוני ad ex XX. 14. vbi haec legere licet verba:

יש ברוב הדברות שתי נגינות ללמד שבעצרה שהוא דוגמא מתן תורה ומתרגמי הדברות קורין כל דברת לא יהיה לך וכל דברת זכור בנגינות הגדולות לעשות כל אחת מהן פסוק אחר שכל אחד מהן דברה אחרת לעצמה ודברות

ודברות לא תרצח לא תנאף לא תגנוב לא
תענה קורין בנגינות הקטנות לעשות ד'
פסוקים שהם ד' דברות אבל בחרש שבט
כשקורין בפרשת יתרו כשאר שבתות השנה
קורין לא יהיה לך וזכור בנגינות הקטנות
לעשות מכל אחת מהן ד' פסוקים ודברות לא
תרצח לא תנאף לא תגנוב לא תענה קורין
בנגינות הגדולות לעשותן פסוק אחר וגו'

quae verba ita transfert Abicht in accentuatione ſua p. 97.: Sunt in plerisque praeceptis duplices accentus, quo docetur, quod in feſto pentecoſtes, quod ſpeciem promulgationis legis diuinae refert, et in quo decem praecepta interpretari ſolent, legant duo haec praecepta: Non ſint tibi dii alieni, etc. recordare diei ſabbathi, etc. voce eleuata, faciantque ex quouis eorum verſum vnum, quia quoduis eorum vnum praeceptum conſtituit. Et praecepta, non occidas, non moecheris, non fureris, non perhibeas falſum teſtimonium, legunt voce ſubmiſſa, faciuntque ex iis quatuor verſus, quia ſunt quatuor praecepta. E contrario in menſe Schebat, quando ſectionem Iethro legunt, leguntur illa praecepta, quemadmodum alii verſus in omnibus totius anni ſabbathis leguntur. Tunc enim verſus, non ſint tibi dii alieni, recordare diei ſabbathi, legunt voce ſubmiſſa, faciuntque ex illis quatuor verſus. Et praecepta, non occidas, non moecheris, non fureris, non dicas falſum teſtimonium, le-

gunt voce eleuata, quia vnum versum constituunt etc.

§. XI.

Ex duabus, voci cuidam in decalogo appositis, figuris accentuum, vna pertinet ad praelectionem pentecostalem, altera vero ad praelectionem mensis Schebat (§. 9. et 10.). Quia vero in praelectione pentecostali quodlibet praeceptum, vt versus, in mense vero Schebat quilibet versus, vt versus, praelegitur (§. cit.); accentuum figurae, quae ad praelectionem pentecostalem spectant, dicuntur *accentus praeceptiui*, illae vero, quae pertinent ad praelectionem mensis Schebat, *versiculares*.

COR. Si ergo voci cuidam in decalogo duae fuerint adiectae accentuum figurae, vna illarum est accentus versicularis, altera vero accentus praeceptiuus. (§. cit.).

§. XII.

Quaenam vero illarum figurarum sit accentus praeceptiuus, et quaenam sit versicularis, nunc explicabimus. In mense שבט primum, et tertium praeceptum ita praeleguntur, vt quilibet, ea constituens, versus, vt versus separatus, decantetur; in festo vero pentecostes ita, vt versus, haec duo praecepta constituentes, decantentur, vt versus vnicus (§. 9. et §. 10.). Ergo in festo pentecostes non tamdiu expectat

pectat modulans inter versus, haec praecepta constituentes, quam in mense Schebat. In festo ergo pentecostes maiori cum celeritate coniunguntur, decantanturque, quam in mense Schebat. Quum vero hae modulationes fiant secundum accentuum figuras (§. 29. et 30. pr. et §. 10.); complexus earum figurarum, quae pertinent ad praelectionem pentecostalem, celeriorem non possunt non determinare modulationem, quam complexus earum, quae spectant ad praelectionem mensis Schebat (§. 2. pr.). Adeoque complexus praeceptiuorum accentuum in his duobus praeceptis, celeriorem determinet, necesse est, modulationem, quam complexus accentuum versicularium (§. 11.).

§. XIII.

Quo maioris sunt nexus accentuum figurae, seriei cuidam vocum adiectae, eo celerior esse solet modulatio (§. 10.); ideoque accentus praeceptiui in primo et tertio praecepto, in complexu spectati, maioris sint nexus figurae, necesse est, quam accentus versiculares, in complexu considerati (§. praec.).

§. XIV.

Ex eo, quod ex duabus figuris, voci cuidam appositis, figura quaedam accentus, in se spectata, maioris sit nexus figura,

quam altera, non sequitur, eam maioris esse nexus figuram, quatenus in connexione cum aliis accentuum figuris spectatur. Fieri enim nihilominus potest, vt efficiat, vt aliis vocibus apponantur accentuum figurae, quae, cum hac simul sumtae, minoris sint nexus figurae, quam figurae, quae ad figuram minoris nexus respiciunt, cum illa minoris nexus figura simul sumtae. Sic e. g. Exod. XX. 10. voci מְלַאכְתְּךָ adscriptus est Geresch, et Paser. Ac licet Geresch, in se spectatus, maioris sit nexus figura, quam Paser (§. XII. pr.); Geresch tamen minoris est nexus figura, quam Paser, quatenus in connexione cum reliquis accentuum figuris spectatur. Vti enim ex tabula patet, ad Gereschum hunc in voce וּבִתְּךָ respicit Rbhia, ad Paserum vero Tlischa Ghdhola; Geresch vero et Rbhia, simul sumti, sine omni dubio, minoris sunt nexus figurae, quam Paser et Tlischa Ghdhola (§. 12. pr.): vt reliquas accentuum figuras, ad Gereschum et Paserem ibi respicientes, nunc silentio praetereamus. Quae cum ita sint, ex eo, quod voci cuidam in primo et tertio praecepto duae fuerint adpositae accentuum figurae, quarum vna, in se considerata, est maioris nexus figura, quam altera, in se spectata, concludi non potest, eam, quae est maioris nexus, esse accentum praeceptiuum, ac alteram, quae minoris est nexus figura, accentum versi-

cu-

cularem; sed ita potius dicendum est: si voci cuidam in primo et tertio praecepto duae fuerint adpositae accentuum figurae, quarum vna, in se spectata, est maioris nexus figura, quam altera, ac, in connexione cum aliis accentuum figuris, non est minoris nexus, quam altera; ea, quae est maioris nexus, quam altera, est accentus praeceptiuus, ea vero, quae minoris est nexus, accentus versicularis (§. praec.).

§. XV.

Si voci cuidam in primo et tertio praecepto duae fuerint adiectae accentuum figurae, quarum vna est maioris dignitatis, quam altera; ea, quae est minoris dignitatis, est accentus praeceptiuus, ea vero, quae maioris est dignitatis, accentus versicularis.

Dem. Si enim voci cuidam, in primo et tertio praecepto, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quarum vna est maioris dignitatis, quam altera; ea, quae est minoris dignitatis, si in se spectetur, maioris est nexus figura, quam ea, quae est maioris dignitatis, si in se consideretur (§. 19. pr. et §. 12. pr.). In connexione vero cum aliis accentuum figuris non potest esse minoris nexus figura, quam ea, quae est maioris dignitatis (§. 41. et 42. pr.): si ergo voci cuidam, in primo et tertio praecepto, duae fuerint appositae accentuum figurae, quarum vna est maioris dignitatis, quam altera; ea,

quae est minoris dignitatis, est accentus praeceptiuus, ea vero, quae maioris est dignitatis, accentus versicularis (§. praec.)

COR. Si igitur voci cuidam in primo et tertio praecepto duae fuerint appositae accentuum figurae, quarum vna est figura decimi tertii gradus, ac altera minoris gradus, quam decimi tertii; figura decimi tertii gradus est accentus praeceptiuus, figura vero minoris gradus, quam decimi tertii, accentus versicularis (§. 19. pr.).

SCHOL. Eadem prorsus ratione demonstrari potest haec enunciatio: Si voci cuidam in primo et tertio praecepto duae fuerint adiectae accentuum figurae, quarum vni competit dignitas, alteri vero minus; eam, cui nulla dignitas competit, esse accentum praeceptiuum, eam vero, cui tribuenda est dignitas quaedam, accentum versicularem.

§. XVI.

Si voci cuidam, in primo et tertio praecepto, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quae diuersorum sunt graduum, ac eosdem habent subdistinctiuos, et denique non sunt in ditione alius cuiusdam figurae; ea, quae est maioris gradus, est accentus praeceptiuus, ea vero, quae minoris est gradus, accentus versicularis.

Dem. Si enim voci cuidam, in primo et tertio praecepto, duae fuerint adpositae ac-

accentuum figurae diuersorum graduum; ea, quae est maioris gradus, si in se spectetur, maioris est nexus figura, quam ea, quae minoris est gradus (§. 12. pr.). Si vero praeterea eosdem habuerint subdistinctiuos, ac in nulla fuerint ditione; ea, quae est maioris gradus, in connexione non est minoris nexus figura, quam ea, quae est minoris gradus (§. 41. et §. 42. pr.). Si ergo voci cuidam, in primo et tertio praecepto, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quae primo diuersorum sunt graduum, deinde eosdem habent subdistinctiuos, ac denique in nulla sunt ditione; ea, quae est maioris gradus, est accentus praeceptiuus, ea vero, quae minoris est gradus, accentus ver, icularis (§. 14.).

§. XVII.

Etiamsi vero Makkeph maioris sit nexus, quam omnes aliae accentuum figurae (§. XII. pr.); saepius tamen, quum voci cuidam duae sunt adiectae accentuum figurae, ac ex iis vna est Makkeph; Makkeph illud ad accentuationem versicularem pertinet, residua vero figura ad accentuationem praeceptiuam: vti in praelectionibus, ac in applicatione ostendemus (conf. §. 14.). Sed hoc sine dubio ex speciali quodam valore musico repetendum est, quem ignoramus (§. 33.). Vnde vero determinare possimus, vtrum Makkeph quoddam, his duo-

duobus in praeceptis occurrens, ad accentuationem praeceptiuam, an vero ad accentuationem verſicularem ſit referendum, ita accipe.

§. XVIII.

Si voci cuidam, in primo ac tertio praecepto, duae fuerint appoſitae accentuum figurae, ac ex his vna fuerit Makkeph; illa, a Makkeph diuerſa, accentus figura, aut ad vtramque referri poteſt accentuationem, aut non. Si prius, nil refert, vtrum Makkeph ad praeceptiuam, et reſiduam figuram ad verſicularem, an Makkeph ad verſicularem, et reſiduam figuram ad praeceptiuam referas accentuationem. Si vero poſterius; diuerſa illa a Makkeph figura ad vnam tantum referri poteſt accentuationem. Ad hanc ergo referatur, et Makkeph ad eam, quae remanet, accentuationem.

§. XIX.

Si vero voci cuidam, in primo ac tertio praecepto, duae appoſitae fuerint accentuum figurae, quae eiusdem ſunt gradus; ſemper certe vna illarum ad vnicam tantum referri poteſt accentuationem. Ea igitur figura, quae ad vnicam tantum referri poteſt accentuationem, ad eam, ad quam referri poteſt, referatur; reſidua vero figura ad reſiduam accentuationem.

SCHOL.

SCHOL. Quae vero §o hoc et §o praecedenti monuimus, facillimo negotio ex tabula aestimari poterunt.

§. XX.

Si voci cuidam, in primo ac tertio praecepto, vnica tantum adiecta fuerit accentus figura; haec tum ad praeceptiuam, tum ad versicularem spectat accentuationem.

Dem. Ponamus enim vnicam eiusmodi accentus figuram ad vnicam solummodo pertinere accentuationem; ergo ad vnicam tantum referenda est praelectionem (§. 11.) Ergo vna praelectio huius vocis ab altera diuersa est; adeoque plures vna adesse debent in hac voce accentuum figurae (§.29.et 30.pr. et §. 10.et §.2.pr.). Quod cum repugnet hypothesi; sequitur, si voci cuidam, in primo ac tertio praecepto, adiecta fuerit vnica tantum accentus figura, eam non ad praeceptiuam minus, quam ad versicularem spectare accentuationem.

§. XXI.

Quintum, sextum, septimum, ac octauum praeceptum vnico comprehenduntur versu. Ergo in festo pentecostes, vt quatuor, in mense vero Schebat, vt vnicus versus, decantantur (§. 9. et 10.). Cum igitur in medio versus non tamdiu moretur modulans, quam a fine eius; sequitur, in mense Schebat haec quatuor praecepta

cepta maiori cum celeritate coniungi, decantarique, quam in festo pentecostes. Adeoque illae accentuum figurae, quae pertinent ad praelectionem mensis Schebat, in complexu spectatae, celeriorem indicare debent modulationem, quam eae accentuum figurae, quae spectant ad praelectionem pentecostalem, in complexu consideratae (§. 29. 30. et §. 2. pr. et §. 10.). Illae igitur accentuum figurae, quae referendae sunt ad praelectionem mensis Schebat, in complexu spectatae, maioris sint nexus figurae, necesse est, quam eae accentuum figurae, quae spectant ad praelectionem pentecostalem, in complexu consideratae (§. 13.). Ideoque, in quinto, sexto, septimo, et octauo praecepto, accentus versiculares, in complexu spectati, maioris sint nexus figurae, necesse est, quam accentus praeceptiui, in complexu considerati (§. 11.).

COR. I. Si ergo voci cuidam, in quinto sexto septimo et octauo praecepto, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quarum haec est maioris dignitatis, quam illa; ea, quae est minoris dignitatis, est accentus versicularis, ea vero, quae maioris est dignitatis, accentus praeceptiuus (§. 14. et §. 15.).

COR. II. Si autem voci cuidam, in quinto, sexto, septimo, et octauo praecepto, duae appositae fuerint accentuum figurae, quarum

vni dignitas competit, alteri vero minus; ea, cui nulla dignitas tribuenda est, est accentus versicularis, ea vero, cui dignitas quaedam adscribenda est, accentus praeceptiuus (§. 14. et §. 15. schol.).

COR. III. Si vero voci cuidam, in enumeratis quatuor praeceptis, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quae primo diuersorum sunt graduum, deinde nullos habent subdistinctiuos, et denique in nulla sunt ditione; ea, quae est maioris gradus, est accentus versicularis, ea vero, quae minoris est gradus, accentus praeceptiuus (§. 14. et §. 16.).

SCHOL. I. Ac si denique voci cuidam, in quatuor hisce praeceptis, vnica tantum adiecta fuerit accentus figura; haec tum ad praeceptiuam, tum ad versicularem spectat accentuationem (§. 20.).

SCHOL. II. Quae, in his tribus corollariis, ac scholio primo, posuimus, eodem modo demonstrari possunt, vti in citatis paragraphis id fecimus, si modo mutanda mutentur.

§. XXII.

Determinauimus hactenus, quaenam accentuum figurae sint praeceptiui, et quaenam sint versiculares accentus. Quaerere vero ex nobis posses, Beneuole Lector, quia supra (§. 5. et §. 6.) demonstrauimus, si voci cuidam duae fuerint adiectae accentuum figurae, vnam illarum esse accen-

centum, ac alteram notam musicam mere talem, quaenam ex eiusmodi figuris accentus vere tales sint dicendae, ac vtrum accentus praeceptiui, an versiculares hoc nomine sint insigniendi. Ad quam quaestionem hac ratione respondemus: Si accentus praeceptiuos conferas cum accentibus aliorum scripturae locorum; facile deprehendes, illos, si essent accentus, proprie sic dicti, aut magis, aut minus connectere, quam in reliquis locis, eiusmodi sub circumstantiis, fieri solet. Si ergo accentus praeceptiuos assumeremus pro accentibus, proprie sic dictis, contra analogiam reliquorum locorum peccaremus; id quod, si accentus versiculares accentus, proprie sic dictos, nominemus, non est metuendum. Adeoque, nisi quis leges probabilitatis violare velit, accentus versiculares, accentus, proprie sic dictos, nominet, necesse est.

§. XXIII.

Quare vero non quodlibet praeceptum versum, et non quilibet versus praeceptum constituat, (vide sis praeceptum e. g. primum, et quintum); optime ex eo explicari posse videtur, quod in toto veteri codice omnes versus, ad minimum, tribus, nullus vero pluribus, quam quadraginta absoluatur vocibus. Quia ergo praeceptum primum et tertium ex pluribus, quam

quam quadraginta, praeceptum vero quintum, ſextum, et ſeptimum ex paucioribus, quam tribus, conſtant vocibus; ad analogiam conſeruandam, primum, et tertium praeceptum non vnico comprehenduntur verſu, quintum vero, ſextum, et ſeptimum non peculiaribus incluſa ſunt verſibus.

SCHOL. Intelligi ex iis, quae modo diſſeruimus, poteſt, quare, in ſecundo et quarto praecepto, terminus praecepti cum termino verſus coincidat.

§. XXIV.

Qui vero fiat, vt vltimae ſyllabae vocis פני Exod. XX. 3. nec non vocis תרצח v. 13. duae ſubſcriptae ſint vocales; in praelectionibus, ex accentuum natura, oſtendemus: in quibus quoque exponemus rationem, ob quam litteris quibusdam in decalogo et Raphe ſit impoſitum, et dageſch impreſſum, e. g., voci תִּגְנֹוב תִּנְאָף etc. v. 13.

§. XXV.

Controuerſiam quoque noſtratium cum Caluini ſectatoribus de diuiſione decalogi in praelectionibus enarrabimus, ac, quantum fieri poterit, decidemus. Haec vero diſceptatio ex eo ortum ſuum traxit, quod Exod. XXIII. 28. et Deut. IV. 13. עשרת הדברים i. e. decem verborum, ſeu prae-

ceptorum fiat mentio. Vt igitur numerus hic completus sit, nostratium plurimi, versum decimum quartum capitis vicesimi exodi duo continere praecepta, affirmant; Caluini vero assectae praeceptum tantummodo vnicum hoc versu comprehendi, ac primum potius nostrum in duo esse diuidendum, sibi persuasum habent, praecepta.

SCHOL. Reliqua vero, quae in duplici accentuatione decalogica notatu videbuntur digna, in applicatione explanabimus.

SECTIO OCTAVA.

DE DVPLICI ACCENTVATIONE IN LOCIS PISCATIS.

§. XXVI.

Loca Piscata dicuntur, quae hoc respectu vnicus, ac alio respectu duo sunt versus. Piscata vero dicuntur ideo, quia iis in margine voces hae adiectae esse solent: פמקא באמצע פסוק.

SCHOL. Definitionem hanc esse legitimam, patet ex R. Menachem de Lonzano, qui in Or Torah, ad sectionem וישלח, fol. 6. col. 1. de loco Gen. XXXV. 22. cui in margine פסקא באמצע פסוק adscriptum est, hunc in modum fatur: לפי שפסוק זה בבחינה אחת

אחת הוא פסוק אחד ובבחינה אחרת הוא
שני פסוקים לכן בקצרת מלותיו שני
טעמים בבחינה הזותו פסוק אחד ראובן
ברביע וישכב בפשט בלהה בפשט אביו
בזקף קטון ישראל באתנח ובבחינה הזותו
שני פסוקים ראובן בזקף קטון וישכב
בזקף גדול בלהה בטרחא אביו באתנח
ישראל בגעיא i. e. propterea quod versus hicce hoc respectu est versus vnicus, alio vero respectu duo versus; ideo in nonnullis ipsius vocibus duo deprehenduntur accentus ita, vt eo respectu, quo est versus vnicus, Ruben instructum sit Rbhia, Vaiischcab Paschta, Bilha Paschta, Abiv τῷ Sakeph Katon, Israel Athnacho: eo vero respectu, quo est duo versus, Ruben τῷ Sakeph Katon, Vaiischcab τῷ Sakeph Gadhol, Bilha Tarcha, Abiv Athnacho, ac denique Israel Gaia. Ad haec vero accuratius intelligenda obseruandum est: Tarcham hic idem denotare, quod Tiphcha, et Gaiam idem, quod Silluk, vti ex vsu Rabbinorum patet. Conf. D. Michaelis in accentuatione sua §. 10. p. 8. Quod vero ad criticam notitiam accentuum, loco huic appositorum, attinet, euolui possunt D. Michaelis, in variantibus lectionibus ad hunc locum, Weimarus, in doctrina accentuationis hebraeae, pag. 106. et 107. not. nec non Abicht in accentibus hebraeorum, cap. VIII. §. 2. p. 113.

§. XXVII.

Si ABCD vt versus seorsim cantantur, et eodem modo EFGH; tunc aliter cantantur, quam si ABCDEFGH vt versus vnicus canuntur. Cum igitur modulatio institui soleat secundum accentus (§. 29. et 30. pr. et §. 26. Schol.); intelligi inde potest, quare loca Piscata duplici instructa esse debeant accentuatione (§. praec.).

§. XXVIII.

Inter genuina loca Piscata referuntur Gen. IV. 8. XXXV. 22. Num. XXV. v. vlt. cum initio capitis XXVI. Deuter. II. 8. Ios. IV. 1. VIII. 24. Iudic. II. 1. 1 Sam. X. 22. XIV. 19. 36. XVI. 2. 12. XVII. 37. XXI. 10. XXIII. 2. 11. 2 Sam. V. 2. 19. VII. 4. XII. 13. XVI. 13. XVII. 14. XVIII. 2. XXI. 1. 6. XXIV. 10. 11. 23. 1 Reg. XIII. 20. Ier. XXXVIII. 28. Ezech. III. 16. Quibus addunt praeceptum nostrum nonum. et decimum, Ex. XX. 14. et Deut. V. 18. vbi, loco Piscae, litteram ס positam, arbitrantur.

§. XXIX.

Omnia, quae, ex paragrapho praecedenti enarratis, genuina sunt, loca Piscata duplici instructa esse debent accentuatione (§. 27.). Quae tamen nonnisi Gen. XXXV. 22. expressa est, in reliquis vero Piscatis locis, quia vna accentuatio ab altera

tera parum differt, adeoque defectus hic facile a consecutionis accentuum gnaro suppleri potest, omissa.

COR. In vocibus ergo loci Gen. XXXV. 22. duabus instructis accentuum figuris, vna tantum harum figurarum est accentus, altera vero mera nota musica (§. 5. et 6.).

§. XXX.

Quum Gen. XXXV. 22. voci cuidam duae sunt appositae accentuum figurae, vna earum pertinet ad respectum, quo locus hic est vnicus versus, altera vero ad respectum, quo est duo versus (§. 26. schol.); ideoque illam figuram, compendii ergo, dicemus figuram vnitatis, hanc vero, figuram dualitatis. Quaenam vero ex duabus eiusmodi figuris sit figura vnitatis, et quaenam sit figura dualitatis, sequenti ratione determino.

§. XXXI.

Si hic locus, vt vnicus versus, cantatur, modulans intra illum non tamdiu quiescit, quam, si, vt duo versus, cantatur; adeoque, si, vt vnicus versus, cantatur, maiori celeritate canitur, quam si, vt duo versus, decantatur. Figurae igitur vnitatis, in complexu spectatae, celeriorem indicare debent modulationem, quam figurae dualitatis, in complexu spectatae (§. 29. et 30. pr. et §. 2. pr. et §. 26. sch.) ideoque figurae vnitatis, in complexu

ſpectatae, maioris ſint nexus figurae, neceſſe eſt, quam figurae dualitatis (§. 13.).

COR. I. Si ergo voci cuidam, in hoc loco, duae fuerint adiectae accentuum figurae, quarum vna eſt maioris dignitatis, quam altera; ea, quae eſt minoris dignitatis, eſt figura vnitatis, ea vero, quae eſt maioris dignitatis, figura dualitatis (§. 14. et §. 15.).

COR. II. Si vero voci cuidam, hoc in loco, adiectae fuerint duae accentuum figurae diuerſi gradus, quae a nulla accentus figura pendent, ac eosdem habent ſubdiſtinctiuos; ea, quae eſt maioris gradus, referenda eſt ad figuras vnitatis, ea vero, quae minoris eſt gradus, ad figuras dualitatis (§. 14. et §. 16.).

SCHOL. Haec omnia eadem ratione demonſtrari poſſunt, qua, contenta in citatis paragraphis, theoremata probauimus.

§. XXXII.

Eodem quoque modo, quo ſupra (§. 20.) demonſtrauimus: Si voci cuidam, in primo ac tertio praecepto, vnica tantum adiecta fuerit accentus figura, eam ſpectare tum ad accentuationem verſicularem, tum ad praeceptiuam; etiam hic probari poteſt: ſi voci cuidam vnica tantum adiecta fuerit figura, eam eſſe figuram vnitatis, et dualitatis ſimul.

SECTIO

SECTIO NONA.

DE DVPLICI ACCENTVATIONE, QVAM IN VOCIBVS SINGVLARIBVS DEPREHENDIMVS.

§. XXXIII.

Si voci cuidam singulari duae fuerint appositae accentuum figurae, vna illarum est accentus, ac altera mera nota musica (§. 7.). Quaenam vero illarum sit accentus, et quaenam mera nota sit musica; omnium optime ex accentuum determinari potest consecutione, ita, vt ea, quae huic vel illi consecutioni accentuum est conueniens, sit accentus, residua vero, nil nisi nota sit musica.

§. XXXIV.

Quinam accentus hunc vel illum accentum excipere soleat, perspicue aeque ac erudite docet Tympius noster longe celeberrimus, Patronus, ac Praeceptor meus, ad cineres vsque colendus, in elegantissimis tabulis suis accentuatoriis, ad quas consecutiones accentuum cogniturum possemus ablegare. Vt vero laborem hunc ei reddamus faciliorem, ex accentuum consecutione, ibi depicta, collata cum duplici accentuatione, in vocibus singularibus, abstraximus sequentia.

§. XXXV.

Si voci cuidam singulari duae fuerint adiectae accentuum figurae; aut ambae sunt in syllaba tonica, aut non.

M. I. Si ambae sunt in Syllaba tonica, ea, quae, si terminus a quo est finis vocis, praecedit, consecutioni accentuum est conueniens, ideoque accentus (§. XXXIII.); residua vero figura mera nota musica (§. cit.) conf. 2 Reg. XVII. 13. שֻׁבוּ Gen. V. 29. יְנַחֲמֵנוּ.

M. II. Si vero non ambae sunt in Syllaba tonica; tunc vna earum, vti ex vniuersali inductione patet, est in Syllaba tonica, ac haec consecutioni est conueniens, ideoque accentus (§. 33.); restans vero mera nota musica (§. cit.). Conf. Iudic. XXI. 21. Leu. XXV. 46. Numer. XXXIII. 8. Ies. VIII. 17.

SCHOL. Accentuationis vero triplicis eandem esse rationem, quae duplicis; in praelectionibus ostendemus. Exemplum vero triplicis accentuationis videre poteris Ps. XX. 6.

SECTIO DECIMA
DE ACCENTVATIONE A PRIORI, ET A POSTERIORI.

§. I.

A conditione vocum concludere ad earum nondum cognitos accentus, di-

ci-

citur *accentuare a priori;* ab accentibus vero vocum concludere ad conditionem illarum, appellatur *a posteriori accentuare.*

SCHOL. Probaturis nobis, definitiones has vsui accentuatorum loquendi esse consentaneas, adduxisse sufficiat celeberrimum Michaelis, atque Weimarum, quorum ille in accentuatione sua, quam *gründlicher Unterricht von den* accentibus vocat, §. 17. p. 11. his vtitur verbis: A priori *accentuiren, ist soviel gesagt, wenn man einen versicul, (dessen richtigen Verstand, nebst den Worten, man doch schon haben, oder einem wenigstens gesagt werden muß,) durch Hülfe dieser, oder dergleichen Anleitung, mit eben denselben accenten bezeichnet, die in der Bibel stehen, ob man sie schon nicht aufgeschlagen, oder daraus genommen.* Licet vero haec de accentuare a priori definitio tantummodo respiciat ad valorem accentuum nexum vocum indicandi, non vero ad valorem eorum musicum; tamen, si eam reddideris generaliorem, ac determinationes minus constantes omiseris, eam cum ea, quae a nobis est suppeditata, plane deprehendes conuenire. Hic vero, Weimarus nimirum, in vsu accentuationis biblicae p. 49. M. 4. Versiculus, inquit, biblicus, accentibus iisdem, qui in textu sacro reperiuntur, data sua ratione a priori, iuxta regulas accentuatorias, hodie datas, exornari potest. Im-

possibile alias plane esset, si hae regulae suam non haberent certitudinem, vt versiculus, ex codice hebraeo, seorsim absque accentibus positus, non inspecto libro, ab accentuatoribus, accentibus iisdem, qui ibi extant, possit exprimi. Vnde haud obscure constat, accentuationem dari a priori. Hactenus Weimarus. Ego quidem diffiteri haud possum, hoc Weimari effato contineri nonnulla, quae nondum concedo. Nihilo tamen minus, quod inde probare studuimus, probatum est. Quod vero ad accentuare a posteriori attinet, oppositorum oppositam esse, neminem fugiet, rationem.

§. II.

Accentibus duplex solummodo competit valor, valor nimirum nexum vocum indicandi, ac valor musicus (§. 31. pr.); si ergo voces relatas, consideres, ad accentus, nihil in iis distinguere poteris, nisi illarum nexum, earumque modulationem. Quicunque ergo a conditione vocum concludere vult ad illarum, nondum perspectos, accentus; ad hos concludat, necesse est, aut a nexu vocum, aut a modulatione illarum, aut ab vtroque simul.

§. III.

Quatenus quis, accentibus licet, vocibus adiectis, nondum cognitis, vel solam modulationem illarum vocum perfecte perspicit, eatenus potest a priori accentuare.

Dem.

Dem. Cum enim cuilibet accentui peculiaris quaedam competat melodia (§. 29. et 30. pr.); posita hac vel illa melodia, alius poni nequit, quam hic vel ille accentus. Adeoque ab hac vel illa vocis cuiusdam melodia, etiamsi quis antea non sciuerit, quisnam in textu adsit accentus, concludere potest ad hunc vel illum eius accentum. Quatenus ergo quis modulationem vocum vel solam perfecte perspicit, licet accentus, quibus ornatae sunt, antea non nouerit, eatenus potest a priori accentuare (§. 1.).

§. IV.

Dolendum tamen est, musicam veterum hebraeorum nobis hodie tam esse ignotam, vt ex conditione vocum, ratione modulationis, non possimus determinare, quinam adesse debeant accentus; sed tantummodo, loco eius, quoad paucos eiusdem gradus accentus, conditiones sciamus, quae determinant, si ex pluribus accentibus eiusdem gradus quis apponendus sit, quis illorum adesse debeat, (§. 33. pr.). A conditionibus ergo illis solis ad vocum accentus, nondum cognitos, concludere non possumus.

COR. Si ergo cupimus a priori accentuare, aut a nexu vocum solo, aut a nexu vocum, in sub-

subsidium vocatis istis conditionibus, ad ipsarum argumentemur, necesse est, nondum cognitos accentus (§. 1. et §. 2.).

§. V.

Antequam sacrum codicem inspeximus, ac accentus, vocibus A. B. C. adpositos, contemplati sumus, saepissime non nouimus, quonam nexus gradu A cum B, aut B cum C sit copulatum; id quod non solum patet ex paragrapho trigesimo sexto, sed multis quoque in praelectionibus exemplis docebitur. Accedit, quod, etiamsi sciamus, quo nexus gradu voces A B et C sint coniunctae, adeoque cuiusnam gradus accentus sint apponendi; nos tamen saepissime ex nexu harum vocum non posse colligere, quinam adesse debeant accentus. Multi enim nexus gradus pluribus designari solent accentibus (§. 12. pr. et §. 1. metr.); num vero ex pluribus eiusdem gradus accentibus hic adesse debeat, an alius eiusdem gradus, ex nexu vocum determinari nequit (§. 28. pr.). Quae cum ita sint, saepissime a nexu vocum ad earum accentus, nondum cognitos, concludere non possumus, ideoque hac ratione accentuatio a priori saepissime non potest institui (§. 1.).

§. VI.

Etiamsi nexum vocum, ac conditiones illas, sub quibus ex accentibus eiusdem gra-

gradus hic adest, et sub quibus adest alius, simul sumamus; inde tamen saepissime ad illarum accentus, nondum cognitos, concludere, ideoque hac ratione a priori accentuare non possumus.

Dem. A nexu enim vocum hoc vel illo, ad summum, concludere possumus ad accentum huius vel illius gradus (§. praec.). Si vero eiusmodi gradus pluribus indicatur accentibus, quis illorum adesse debeat, inde determinare non possumus (§. cit.). Quum igitur defectus hic ope conditionum illarum saepissime non suppleatur (§. IV.); sequitur: etiamsi nexum vocum, illasque conditiones simul sumamus, nos tamen saepissime inde ad earum accentus, nondum cognitos, concludere, adeoque etiam hac ratione a priori haud raro accentuare non posse (§. 1.).

SCHOL. I. Non vero ex modo dictis sequitur, nos prorsus negare, dari accentuationem a priori. Quatenus enim quidam nexus gradus, quem, codice sacro non inspecto, perspicimus, vnico tantum accentu indicatur, aut quatenus pluribus designatur ita, vt ex conditionibus illis, quantum eas scimus, determinare possimus, quisnam ex pluribus eiusmodi gradus accentibus adesse debeat; eatenus ambabus, vt aiunt, manibus largimur, nos a priori posse accentuare.

SCHOL.

SCHOL. II. Percepisti ex hactenus disputatis, Beneuole Lector, nostram de controuersia, inter eruditos agitata: num detur accentuatio a priori, sententiam. Haud leuibus adducti arbitramur rationibus, nos, hac in controuersia, distinguenda quae sunt, distinxisse. Sepositio ergo partium studio, rem hanc, vti a nobis proposita est, paullo accuratius pondera. Quod, si tibi facere e re tua visum fuerit, quin nostrae subscripturus sis sententiae, nulli dubitamus. Haud obscure quoque nunc intelliges, quare Weimari assertum, scholio paragraphi primi contentum, non omni ex parte ibi probauerimus. Ad quaestionem vero, num ex accentuatione a priori aliquis expectandus sit vsus, in praelectionibus respondebimus.

SCHOL. III. Possemus nunc scribendi facere finem, quia doctrina, de accentibus codicis veteris testamenti, iam satis nobis, superque explicata videtur. Sed actum tamen nos acturos, vix, ac ne vix quidem credimus; si etiam, quid nobis de diuina accentuum videatur origine, cum Beneuolo simus communicaturi Lectore. De hac ergo agat sectio sequens.

SECTIO VNDECIMA AC VLTIMA.

DE DIVINA ACCENTVVM ORIGINE.

§. I.

§. I.

Si tibi conferre libuerit maxime prouidam Dei curam, de incorrupte conseruando sacro codice, ac stupendum Iudaeorum, id ipsum efficiendi, studium cum maxima, quae ex accentibus, vocibus, diuinitus inspiratis, nexui illarum inconuenienter appositis, oriretur corruptione; haec sibi inuicem repugnare, non poteris non concedere. Adeoque aut prius falsum est, aut posterius. Prius falsum esse, nemo, nisi qui, Deum Deum esse, negat, ac rabbinicae plane expers est litteraturae, affirmare potest. Posterius ergo falsum sit, necesse est: seu, quod idem est, falsum sit, necesse est, accentus, vocibus, diuinitus inspiratis, adiectos, nexui illarum inconuenienter appositos esse. Vera ergo sit, necesse est, opposita ei propositio: accentus scilicet, vocibus, a Deo auctore profectis, adiectos, talem indicare nexum, qualis inter voces illas, ex intentione diuina, intercedit.

COR. Ex accentibus igitur, vocibus, a Deo reuelatis, adiectis, infallibiliter determinare possumus, qualis inter voces illas sit nexus; num nimirum vox A tantum cohaereat cum voce B, quantum B cum voce C, aut num A magis, vel minus cohaereat cum B, quam B cum C.

§. II.

§. II.

Diuersissimas saepe in partes abire sacri codicis V. T. interpretes, quem quaeso fugit? Hi vero dissensus maxima ex parte ex eo oriuntur, quod hic interpres vocem A cum B remotissimo nexu coniungat, ille arctiori, alius denuo arctiori, ac alius denique arctissimo. Cum igitur ex accentibus certo perspicere possimus, quali nexu voces, diuinitus inspiratae, cohaereant (§. praec. cor.); sequitur, accentus fallere nescium lapidem esse lydium, ad quem omnes omnium versiones, ac interpretationes sacri codicis veteris Testamenti et exigi possint, et debeant, eorumque ope nos verum ac certum sacrarum paginarum eruere posse sensum, eumque a stolidis, peruersis, ac erroneis aduersariorum vindicare explicationibus.

§. III.

Iam dudum eruditi inter se disceptarunt, nec etiam nunc conueniunt de eo, num accentus, vocibus, diuinitus inspiratis, in veteri instrumento, adiecti diuinae sint originis, nec ne. Haec vero controuersia aut mere curiosa est, aut id intendit, vt ex illa, hoc, vel illo modo, composita, sciamus, num accentibus niti possimus, ceu infallibili fundamento, in explicandis sacris V. T. oraculis, nec ne. Prius affirmare, esset iniquum prodere in tanti nominis,

qui

qui hac de re certarunt, Viros animum; ergo posterius asserendum est. Quum vero §. Imo iam demonstrauerimus, nos accentibus, in explicando veteri testamento, niti posse, ceu firmissimo fundamento; hanc etiam vt attingamus controuersiam, num accentus diuinae sint originis, nec ne, minime esset necessarium. Vt tamen curioso quoque faciamus satis lectori, quid nobis de illa videatur, paucis exponemus.

§. IV.

Qui accentus vocibus, diuinitus inspiratis, adiecit, iis non apposuit accentus, qui maiorem, aut minorem nexum indicent, quam, qui inter voces illas, ex intentione diuina, intercedit (§. 1.). Saepissime vero, qui textum solum, abstrahendo ab accentibus, ei adiectis, considerat, arbitretur, necesse est, maiorem aut minorem inter voces eius esse nexum, quam qui ab accentibus, iis appositis, indigitatur; vti pluribus in praelectionibus exemplis comprobabimus, ac satis iam eluescit ex §o. XXXVI. pr. Saepissime ergo hos, vel illos accentus his, vel illis vocibus adiiciendos esse, is, qui vocibus diuinis accentus apposuit, ex inspectione contextus perspicere non potuit. Adeoque ab alio quodam, qui intentionem diuinam nouit, huius rei certus factus sit, necesse est. Hic alius aut est Deus, aut ens finitum. Si est

Deus; accentus illi, quos eiusmodi vocibus adiecit, sunt diuinae originis. Si vero hic alius est ens finitum; voces illas, ex intentione diuina, hoc, vel illo modo, coniungendas esse, aut ex inspectione contextus intellexit, aut ab alio id edoctus est. Prius non est; quia inspectio contextus contrarium potius suadet. Posterius ergo sit, necesse est. Ille vero alius, a quo hanc intentionem diuinam edoctus nouit, aut Deus est, aut ens finitum. Si prius, isti accentus sunt diuinae originis. Si vero posterius; hic alius istam intentionem diuinam aut ex intuitione contextus nouit, aut ab alio quodam eius fuit certior factus. Prius, ex ratione, antea dicta, esse nequit. Posterius ergo esse debet. Hic vero alius, qui istum alium de intentione illa diuina erudiuit, aut est Deus, aut ens finitum. Si prius, accentus illi diuinae sunt originis. Posterius vero in infinitum assumi nequit: quia alias progressus rationum in infinitum asserendus esset (per princ. metaph.). Adeoque multi accentus, vocibus, diuinitus inspiratis, appositi, diuinae sunt originis. De nullo vero accentu, voci cuidam, diuinitus inspiratae, appositio demonstrari potest, eum non esse diuinae originis. Probabilissime ergo affirmamus, omnes accentus, vocibus, diuinitus inspiratis, in veteri foedere, adiectos, diuinae esse originis (per princ. log. prob.)

SCHOL.

SCHOL. I. Diximus in hoc paragrapho, de nullo accentu, voci cuidam, diuinitus inspiratae, adiecto, demonstrari posse, eum non esse diuinae originis: ac hoc tamdiu affirmabimus, quamdiu hoc nobis non demonstrabitur. Obiicies forsan, id iam factum esse, non defuisse enim, qui animum ad id probandum appulerint suum. Sed regero: aliud esse appellere animum ad aliquid probandum, ac aliud esse aliquid probare. Ego quidem vim argumentationis illorum perspicere nequeo. Attamen tantum mihi non tribuo, vt a me velim argumentari ad omnes. Forsan enim alii eam perspicient. Dies docebit.

SCHOL. II. Obiicies porro: quare tantummodo probauerimus, probabilem esse hanc veritatem, non vero eius demonstrauerimus certitudinem, praecipue quum alii iam id effectum dederint. Sed non erit tibi ignotum tritum illud prouerbium: vltra posse nemo obligatur. Si alii id praestare potuerunt, iis gratulor. Ego certe luhenter fateor, ad id probandum meas non sufficere vires. Nimis longum nunc esset eorum examinare argumenta. Ideoque hoc ad aliud commodiusque tempus differimus.

SCHOL. III. De controuersia vero eruditorum, vtrum accentus sint ab auctoribus librorum, an a viris synagogae magnae, an a Masorethis Tiberiensibus adpositi, in praelectionibus dicetur.

SCHOL. IV. Aliud est: ei, qui accentus vocibus, diuinitus inspiratis, adiecit, accentus sunt inspirati; ac aliud est accentus, vocibus illis adiecti, sunt diuinitus inspirati. Posterius in §o. hoc demonstrauimus; prius vero, quia nil nos illud sciuisse iuuat, relinquimus in medio.

§. V.

Quae §o praecedenti a nobis disputata sunt, tantummodo spectant ad accentus, qua tales: Sed quaeres forsan ex nobis, quid statuendum sit de accentibus, quatenus sunt notae musicae, et de meris notis musicis, vtrum nimirum sint diuinae originis, an minus. Sed lubentes fatemur, nos neque hoc, neque illud demonstrare posse. Nihilo tamen minus, quid nobis de ortu accentuum, quatenus sunt notae musicae, ac de ortu merarum notarum musicarum, nec non de modo, quo ortae sunt, videatur, in praelectionibus adducemus in medium.

TA-

TABVLA CONSECVTIONIS ACCENTVVM IN VSVM ACCENTVATIONIS DECALOGICAE AD §. XVIII. ET XIX. CAPITIS DE DVPLICI ACCENTVATIONE p. 60.



APPLICATIO PRINCIPIORVM HACTENVS EXPOSITORVM AD ACCENTVS SACRO CODICI ADIECTOS.

Cap. I. Amosi.

v. 1.

דִּבְרֵי עָמוֹס אֲשֶׁר־הָיָה בַנּוֹקְדִים מִתְקוֹעַ אֲשֶׁר
חָזָה עַל־יִשְׂרָאֵל בִּימֵי עֻזִּיָּה מֶלֶךְ־יְהוּדָה
וּבִימֵי יָרָבְעָם בֶּן־יוֹאָשׁ מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל שְׁנָתַיִם
לִפְנֵי הָרַעַשׁ׃

Verſio. Verba Amoſi, qui fuit inter paſtores ex Tekoa: quae vidit ſuper Iſrael in diebus Vſiae, regis Iudae, et in diebus iarobeami, filii Ioaſchi, regis Iſraelis; duos annos ante (notum) illum terrae motum.

Analyſis accentuum huius verſus.

Accentus, voci Imae adiectus, dicitur Munach, ſecundae adiectus Sakeph Katon, 3tiae Makkeph, quartae Merca, quintae Tiphcha, ſextae Athnach, ſeptimae Tliſcha Ktanna, octauae Kadma, nonae Makkeph, decimae Gereſch, vndecimae Pſik Munachatus, duodecimae Munach, decimae tertiae Makkeph, decimae quartae Rbhia, decimae quintae Garſchajim, de-

ci-

cimae sextae Mahpach, decimae septimae Makkeph, decimae octauae Kadma, decimae nonae Munach, vicesimae Sakeph Katon, vicesimae primae Tiphcha, vicesimae secundae Merca, et denique vltimae Silluk cum Soph Pasuk (§. 12. pr.); ideoque vox prima cum secunda connexa est gradu decimo quarto, secunda cum tertia gradu quarto, tertia cum quarta gradu 15to, 4ta cum 5ta gr. 14to, 5ta cum 6ta gr. 5to, 6ta cum 7ma gr. 2do, nona cum decima gr. 15to, decima cum vndecima gr. 12mo, vndecima cum duodecima gr. 13tio, duodecima cum decima tertia gr. 14to, decima tertia cum decima quarta gr. 15to, decima quarta cum decima quinta gr. 6to, decima quinta cum decima sexta gr. 12mo, decima sexta cum decima septima gr. 14to, decima septima cum decima octaua gr. 15to, decima octaua cum decima nona gr. 8uo, decima nona cum vicesima gr. 14to, vicesima cum vicesima prima gr. 4to, vicesima prima cum vicesima secunda gr. 5to, vicesima secunda cum vicesima tertia gr. 14. vltima vero cum prima sequentis versus gr. primo (§. cit.).

OBS. Vocibus אֲשֶׁר et חָמָה adiectae sunt figurae decimi quarti gradus (§. 12. pr.); cum ergo voces hae se immediate excipiant; sequitur, vnicam tantummodo illarum esse signum decimi quarti gradus, alteram vero esse signum

decimi tertii gradus (§. XXIV. pr.). Quia vero אֲשֶׁר magis cohaeret cum חָזֶה, quam חָזֶה cum עַל; sequitur, Tlischam Ktannam, adiectum voci אֲשֶׁר, esse signum decimi quarti gradus, Kadmam vero, appositum voci חָזֶה, esse signum decimi tertii gradus (§. XXV. pr.), adeoque vocem אֲשֶׁר cum חָזֶה cohaerere gr. 14to, vocem vero חזה cum עַל gr. 13tio (§. XII. pr.).

OBS. II. Munach, voci דברי adiectus, est coniunctiuus, eodemque modo Merca, appositus voci היה, nec non Tlischa Ktanna, qui insidet voci אֲשֶׁר, (conf. obs. 1.), item Munach vocis עֻזָּה, et Mahpach vocis יַרְבְעָם, Munach vocis מֶלֶךְ, et denique Merca vocis לִפְנֵי (§. XII. pr. et §. XVII. pr.).

OBS. III. Accentus Sakeph Katon, Tiphcha, Athnach, Kadma, Gerescht, Psik Munachatus, Rbhia, Garschajim, Paschta, Sakeph Katon, Tiphcha, Silluk cum S. P., adiecti vocibus עמוס, בנוקדים, מתקוע, חזה, הרעש, שנתים, ישראל, ויואש, וביומי, ישראל, בימי, יהודה sunt distinctiui (§. XII. et §. XVIII. pr.); et ex his Silluk et Athnach sunt imperatores, Sakeph Katon et Tiphcha reges, Rbhia ac Paschta duces, Gerescht et Garschajim comites (§. XIX. et XII. pr.).

OBS. IV. Psik Munachatus est signum decimi tertii gradus (§. XII. pr.); Psik vero hunc Munachatum immediate praecedit dux (§. XXII. §. XII. et §. XIX. pr.): Ergo Psik hic Munachatus est comes (§. XXIII. cor. pr.).

OBS.

OBS. V. Kadma est signum decimi tertii gradus (§. XII. pr.). Kadmam hunc immediate praecedit comes (§. XXII. §. XII. et XIX. pr.). Ergo Kadma hic est Baro (§. XXXIII. cor. pr.).

OBS. VI. Gradus, quos Munach, Sakeph Katon, Merca, Tlischa Ktanna, Kadma, Gereschi, Psik Munachatus, Rbhia, Garschajim, Mahpach, et Paschta indicant, pluribus denotari solent accentibus (§. XII. pr.). Hoc ergo, quod hi potius adsint, quam reliqui, qui eosdem nexus gradus designant, ex valore accentuum musico repetendum est (§. XXXII. pr.).

Sillukum nullus sequitur accentus, qui, non dicemus maioris, (hoc enim est impossibile §. XIX. pr.), sed vel eiusdem sit cum ipso dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. cit. et §. XII. pr.); ideoque ditio Silluki patet vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XLI. pr.). In hac ditione duo occurrunt reges, Tiphcha nimirum, et Sakeph Katon (§. XII. et XIX. pr.). Quum ergo immediate minoris sint dignitatis, quam Silluk (§. cit.); sequitur, eum ex iis, qui immediate sequitur Sillukum, esse subdistinctiuum eius minorem, eum vero, qui secundo loco illum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Tiphcha immediate Sillukum excipit (§. XXII. pr.), et Sakeph Katon secundo loco illum sequitur (§. XXI. pr.): ergo Tiphcha est minor subdistinctiuus Silluki, et Sakeph Katon maior eius Subdistinctiuus.

Ex his Silluki subdistinctiuis τὸν Sakeph Katon nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XII. §. XIX. et §. XXVI. pr.); ideoque ditio τῦ Sakeph Katon patet vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XLI. pr.). In hac ditione duo occurrunt duces, Paschta nimirum vocis יוֹאָשׁ, et Rbhia vocis יְהוֹרָה (§. XII. et XIX. pr.). Quum vero hi immediate minoris dignitatis sint, quam Sakeph Katon (§. cit.); Sequitur, eum ex iis, qui τὸν Sakeph Katon immediate sequitur, esse subdistinctiuum minorem τῦ Sakeph Katon, eum vero, qui secundo loco eum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Paschta immediate excipit τὸν Sakeph Katon, et Rbhia, secundus ordine illum sequitur (§. XXI. et XXII. pr.); ergo Paschta est subdistinctiuus minor τῦ Sakeph Katon, et Rbhia subdistinctiuus eius maior.

Paschtam vocis יוֹאָשׁ nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem וּבִימֵי inclusiue (§. XII. et XIX. pr.); ideoque ditio Paschtae se extendit vsque ad vocem וּבִימֵי inclusiue (§. XLI. pr.). In hac ditione vnicus tantummodo immediate minoris dignitatis, quam Paschta, occurrit accentus, sc. Garschajim (§. XII. et XIX. pr.). Hic vero Garschajim quum immediate non possit non sequi Paschtam (§. XXII. et §. XLI.

§. XLI. pr.); sequitur, Garschajim hunc esse minorem subdistinctiuum Paschtae.

Rbhiam vero vocis יְהוָה nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum eo, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.); ergo ditio Rbhiae se protendit vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XLI. pr.). In hac ditione duo occurrunt comites, Psik nimirum Munachatus (obs. 4.) et Geresch (§. XII. et XIX. pr.). Quum vero hi immediate minoris dignitatis sint, quam Rbhia (§. cit.); sequitur, eum ex iis, qui Rbhiam immediate sequitur, esse subdistinctiuum Rbhiae minorem, eum vero, qui secundo loco eum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Psik Munachatus immediate excipit Rbhiam, Geresch vero secundo loco eum sequitur (§. XXI. et XXII. pr.); ergo Psik Munachatus est subdistinctiuus Rbhiae minor, Geresch vero subdistinctiuus eius maior.

Inter accentus vero, qui Gereschum sequuntur, nullus deprehenditur, qui eiusdem sit cum illo, aut maioris dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XII. XIX. et §. XXIII. cor. pr.); ergo ditio Gereschi protenditur vsque ad vocem אֲשֶׁר inclusiue (§. XLI.). In hac vero ditione vnicus tantummodo immediate minoris dignitatis, quam Geresch, occurrit accentus, Kadma nimirum, vtpote qui est Baro (obs. 5.).

Hic

Hic vero Kadma quum immediate non possit non sequi Gereschum (§. XXII. et §. XLI. pr.); sequitur, Kadmam hunc esse minorem subdistinctiuum Gereschi.

Contrahe nunc ea, quae modo diximus, ac collato §o XXVI. pr. hunc in modum dic: Silluk cum Soph Pasuk habet, praeuio seruo Merca, pro minori Tiphcham, ac pro maiori τὸν Sakeph Katon, qui Sakeph Katon habet, praeuio seruo Munach, pro minori Paschtam, qui, praeuio seruo Mahpach, pro minori habet Garschajim; ac pro maiori (Sakeph Katon habet) Rbhiam, qui Rbhia, praeuio seruo Munach, pro minori habet Psik Munachatum, ac pro maiori Gereschi, qui Gereschi habet pro minori Kadmam, praeuio seruo Tlischa Ktanna.

Inter accentus, qui Athnachum sequuntur, tantum abest, vt aliquis sit maioris dignitatis, quam Athnach, vt potius ne deprehendatur quidem inter eos, accentus, qui eiusdem sit cum ipso dignitatis, vsque ad init. versus (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio Athnachi se protendit vsque ad initium versus (§. XLI. pr.). In hac vero ditione duo se nobis offerunt reges, Tiphcha nimirum, et Sakeph Katon (§. XII. et §. XIX. pr.). Qui quum sint immediate minoris dignitatis, quam Athnach (§. cit.); sequitur, eum illorum, qui proxime Athnachum sequitur, esse subdistinctiuum eius mi-

minorem, eum vero, qui secundo loco eum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Tiphcha immediate excipit Athnachum, Sakeph vero Katon secundo loco (§. XXI. et XXII. pr.); ergo Tiphcha est minor subdistinctiuus Athnachi, Sakeph Katon vero subdistinctiuus eius maior. Collato nunc §o XXVI. pr. ita pronuncia: Athnach habet pro minori Tiphcham, praeuio seruo Merca, ac pro maiori τὸν Sakeph Katon, praeuio seruo Munach.

Versus secundus.

וַיֹּאמַר | יְהוָה מִצִּיּוֹן יִשְׁאָג וּמִירוּשָׁלַם יִתֵּן קוֹלוֹ וְצָבֵל נְאוֹת הָרוֹעִים וְיָבֵשׁ רֹאשׁ הַכַּרְמֶל׃

Versio. Dixit nimirum, Deus e Zione rugiet, et ex Hierosolymis edet vocem suam, ita vt lugeant amoena prata pastorum, et exaresçat caput Carmelis.

Analysis Accentuum hujus versus.

Voci primae adiectus est Psik Schalscheleth, voci secundae Paschta, voci tertiae Munach, voci quartae Sakeph Katon, voci quintae Tiphcha, voci sextae Munach, voci Septimae Athnach, voci octauae Paschta, voci nonae Munach, voci decimae Sakeph Katon, voci vndecimae Tiphcha, voci duodecimae Merca, voci vltimae Silluk cum Soph Pasuk (§. XII. pr.); adeoque vox prima cum secunda con-

connexa est gr. VI., secunda cum tertia gr. VIII., tertia cum quarta gr. XIV., quarta cum quinta gr. IV., quinta cum sexta gr. V., sexta cum septima gr. XIV., septima cum octaua gr. II., octaua cum nona gr. VIII., nona cum decima gr. XIV, decima cum vndecima gr. IV., vndecima cum duodecima gr. V., duodecima cum decima tertia gr. XIV., vltima cum prima versus sequentis gr. I. (§. cit.).

OBS. I. Munach voci מְצִיוֹן, ac voci יְהוֹן, nec non voci נְאוֹת adiectus, est coniunctiuus, et sic etiam Merca vocis רֹאשׁ (§. XII. §. XVII. pr.).

OBS. II. Psik Schalscheleth, Paschta, Sakeph Katon, Tiphcha, Athnach, et Silluk cum S. P. sunt distinctiui (§. XII. et §. XVIII.): et ex his Silluk et Athnach sunt imperatores, Sakeph Katon et Tiphcha reges, Psik Schalscheleth et Paschta duces (§. XII. et §. XIX. pr.).

OBS. III. Gradus, quos Psik Schalscheleth, Paschta, Munach, Sakeph Katon, et Merca indicant, pluribus designari solent accentibus (§. XII. pr.). Hoc ergo, quod hi praecise adsint, nec alii eorundem graduum, ex valore illorum musico deriuandum est (§. XXXII. pr.).

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum illo, vel maioris sit dignitatis.

gnitatis, vsque ad vocem וְאַבְלוּ incluſiue (§. XII. et §. XIX. pr.); ideoque ditio Silluki patet vsque ad vocem וְאַבְלוּ incluſiue (§. XII.). In hac ditione duo occurrunt reges, Tiphcha nimirum, et Sakeph Katon (§. XII. et §. XIX. pr.). Quum vero hi immediate minoris dignitatis ſint, quam Silluk (§. cit.); ſequitur, eum ex iis, qui Sillukum immediate ſequitur, eſſe ſubdiſtinctiuum Silluki minorem, eum vero, qui ſecundo loco eum ſequitur, ſubdiſtinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Tiphcha immediate excipit Sillukum, et Sakeph Katon ſecundo loco (§. XXI. et XXII. pr.): Ergo Tiphcha eſt minor ſubdiſtinctiuus Silluki, Sakeph Katon vero ſubdiſtinctiuus eius maior.

Ex duobus his Silluki ſubdiſtinctiuis, τοῦ Sakeph Katon nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem cum illo, vel maioris ſit dignitatis, vsque ad vocem וְאַבְלוּ incluſiue (§. XII. §. XXVI. et §. XIX. pr.). Ergo ditio τοῦ Sakeph Katon protenditur vsque ad vocem וְאַבְלוּ incluſiue (§. XLI. pr.).

In hac ditione vnicus occurrit dux, Paſchta nimirum vocis וְאַבְלוּ (§. XII. et §. XIX. pr.). Qui quum ſit immediate minoris dignitatis, quam Sakeph Katon (§. cit.); ſequitur, ſi immediate ſequitur τὸν Sakeph Katon, eum minorem ſubdiſtinc-

ctiuum esse τῆς Sakeph Katon (§. XLII. pr.). Atqui Paschta immediate sequitur τὸν Sakeph Katon (§. XXII. pr.); ergo Paschta est minor subdistinctiuus τῆς Sakeph Katon.

Athnachum vocis קוֹלוֹ nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem וַיֹּאמֶר inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio Athnachi extendit se vsque ad vocem וַיֹּאמֶר inclusiue (§. XLI. pr.). In hac ditione duo occurrunt reges, Tiphcha nimirum vocis וּמִירוּשָׁלִם et Sakeph Katon vocis יְשַׁאֲגֶ (§. XII. et §. XIX. pr.). Quum vero hi immediate minoris sint dignitatis quam Athnach (§. cit.); sequitur, eum ex iis, qui immediate Athnachum sequitur, esse subdistinctiuum eius minorem, eum vero, qui secundo loco eum excipit, esse subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Tiphcha immediate excipit Athnachum, Sakeph Katon vero secundo loco (§. XXI. et XXII. pr.); ergo Tiphcha est minor subdistinctiuus Athnachi, Sakeph Katon vero subdistinctiuus eius maior.

Ex his duobus Athnachi subdistinctiuis τὸν Sakeph Katon nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem primam huius versus (§. XXI. §. XII. et §. XIX. et §. XXVI. pr.). Ergo ditio τῆς Sakeph Katon du-

durat vsque ad vocem primam hujus versus (§. XLI. pr.). In hac vero ditione duo occurrunt duces, Paschta nimirum vocis יְהוָה, et Pfik Schalscheleth, vocis וַיֹּאמֶר (§. XII. et §. XIX. pr.). Qui quum sint immediate minoris dignitatis, quam Sakeph Katon (§. cit.); sequitur, eum ex iis, qui immediate excipit τὸν Sakeph Katon, esse subdistinctiuum τῦ Sakeph Katon minorem, eum vero, qui secundo loco illum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem (§. XLII. pr.). Atqui Paschta immediate excipit τὸν Sakeph Katon, Pfik Schalscheleth vero secundo loco (§. XXI. et XXII. pr.). Ergo Paschta est minor subdistinctiuus τῦ Sakeph Katon, Pfik Schalscheleth vero subdistinctiuus eius maior.

Collato nunc §o XXVI. pr. sequentem in modum pronuncia:

Silluk cum Soph Pasuk habet, praeuio seruo Merca, pro minori subdistinctiuo Tiphcham, ac pro maiori (habet Silluk) τὸν Sakeph Katon, qui Sakeph Katon habet, praeuio seruo Munach, pro minori Paschtam. Athnach habet, praeuio seruo Munach, pro minori Tiphcham, ac pro maiori (habet Athnach) τὸν Sakeph Katon, qui Sakeph Katon habet, praeuio seruo Munach, pro minori Paschtam, ac pro maiori τὸν Pfik Schalscheleth.

Versus tertius.

כֹּה אָמַר יְהוָה עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי דַמֶּשֶׂק
וְעַל־אַרְבָּעָה לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ עַל־דּוּשָׁם בֶּחָרְצוֹת
הַבַּרְזֶל אֶת־הַגִּלְעָד׃

Versio. Sic dicit dominus, ob tres defectiones Damasci, et inprimis ob quartam, non auertam illud (*sc. malum, quod ipsis infligere mecum statui*), nimirum propterea, quod triturarunt tribulis ferreis incolas terrae Gilead.

Analysis accentuum huius versus.

Voci primae adiectus est Mahpach, voci secundae Munach, voci tertiae Sakeph Katon, voci quartae Makkeph, voci quintae Paschta, voci sextae Munach, voci septimae Sakeph Katon, voci octauae Makkeph, voci nonae Tiphcha, voci decimae Munach, voci vndecimae Athnach, voci duodecimae Makkeph, voci decimae tertiae Tbhir, voci decimae quartae Merca, voci decimae quintae Tiphcha, voci decimae sextae Makkeph, et denique voci decimae septimae Silluk cum Soph Pasuk (§. XII. pr.). Ideoque vox tertia cum quarta cohaeret gradu IV, vox quarta cum quinta gr. XV, vox quinta cum sexta gr. VIII, vox sexta cum septima gr. XIV, vox septima cum octaua gr. IV, vox octa-

ua

ua cum nona gr. XV, nona cum decima gr. V, decima cum vndecima gr. XIV, vndecima cum duodecima gr. II, duodecima cum decima tertia gr. XV, decima tertia cum decima quarta gr. IX, decima quarta cum decima quinta gr. XIV, decima quinta cum decima sexta gr. V, decima sexta cum decima septima gr. XV, et denique decima septima cum prima voce sequentis versus gr. I. (§. cit.).

OBS. I. Voci כֹּה et voci אֶמֶר adiectae sunt figurae decimi quarti gradus (§. XII. pr.). Quum igitur voces hae se immediate excipiant; sequitur, vnicam tantummodo illarum esse signum decimi quarti gradus (§. XXIV. pr.). Quia vero אֶמֶר magis cohaeret cum יְהוָה, quam cum כֹּה; sequitur, Mahpachum, adiectum voci כֹּה, esse signum decimi tertii gradus, Munachum vero vocis אֶמֶר esse signum decimi quarti gradus (§. XXV. pr.), ideoque vocem כֹּה cum אֶמֶר cohaerere gr. XIII, vocem vero אֶמֶר cum יְהוָה gr. XIV. (§. XII. pr.).

OBS. II. Munach vocis אֶמֶר vocis פְּשִׁעֵי et vocis לֹא nec non Merca vocis בְּחֻרְצוֹת sunt coniunctiui (§. XII. et §. XVII. pr.).

OBS. III. Sakeph Katon vocis יְהוָה, Pascht a vocis שְׁלֹשָׁה, Sakeph Katon vocis דַּמֶּשֶׂק, Tiphcha vocis אַרְבָּעָה, Athnach vocis אֲשִׁיבֶנּוּ, Tbhir vocis רֹאשָׁם, Tiphcha vo-

cis הַבַּרְזֶל, et denique Silluk cum Soph Pasuk vocis הַגִּלְעָד sunt distinctiui (§. XII et §. XVIII. pr.). Ex his vero Silluk et Athnach sunt imperatores, Sakeph Katon et Tiphcha reges, Paschta et Tbhir duces (§. XII. et §. XIX. pr.).

OBS. IV. Mahpach, voci כֹּה adiectus, est signum decimi tertii gradus (obs. 1.); Mahpachum vero hunc immediate praecedit rex (§. XII. §. XIX. et §. XXII. pr.): ergo Mahpach hic est dux (§. XXIII. cor. pr.).

OBS. V. Gradus, quos Mahpach, Munach, Sakeph Katon, Paschta, Tbhir et Merca indicant, pluribus indicari solent accentibus (§. XII. pr.). Quod ergo hi potius adsint, quam reliqui eorundem graduum, ex valore illorum musico explicandum est (§. XXXII. pr.).

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis vsque ad vocem עַל inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.). Silluki igitur ditio diffundit se vsque ad vocem עַל inclusiue (§. XXXXI. pr.). In hac vero ditione vnicus occurrit rex, Tiphcha nimirum (§. XII. et §. XIX. pr.). Qui quum sit immediate minoris dignitatis, quam Silluk (§. cit.); sequitur, si Sillukum immediate excipit, eum Silluki subdistinctiuum esse minorem (§. XLII. pr.). Atqui verum est prius

prius (§. XXII. pr.). Ergo et posterius, sc. Tiphcham esse minorem Silluki subdistinctiuum.

Tiphcham vero hunc nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis vsque ad vocem עַל inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio Tiphchae se expandit vsque ad vocem עַל inclusiue (§. XXXXI. pr.). In hac ditione vnicus occurrit dux, Tbhir nimirum (§. XII. et §. XIX. pr.). Tbhir hic est immediate minoris dignitatis, quam Tiphcha (§. cit.). Si ergo Tbhir hic Tiphcham immediate excipit; sequitur eum minorem Tiphchae esse subdistinctiuum (§. XXXXII. pr.). Atqui verum est illud (§. XXII. pr.). Ergo et hoc.

Athnachum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem כֹּה inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio Athnachi pertingit vsque ad vocem כֹּה inclusiue (§. XXXXI. pr.).

In hac ditione tres occurrunt reges, Tiphcha nimirum, et duplex Sakeph Katon (§. XII. et §. XIX. pr.). Hi tres accentus sunt immediate minoris dignitatis, quam Athnach (§. cit.). Ergo is ex iis, qui Athnachum immediate sequitur, est subdistinctiuus eius minor, qui secundo

loco eum sequitur, subdistinctiuus eius maior, et qui denique tertio loco illum sequitur, subdistinctiuus eius denuo vel secundo maior (§. XXXXII. pr.). Atqui Tiphcha vocis אַרְבָּעָה immediate sequitur Athnachum, Sakeph Katon vocis דַּמֶּשֶׂק secundo loco, ac Sakeph Katon vocis יְהוָה tertio loco (§. XXI. et XXII. pr.). Ergo Tiphcha vocis אַרְבָּעָה est subdistinctiuus Athnachi minor, Sakeph Katon vocis דַּמֶּשֶׂק subdistinctiuus eius maior, et denique Sakeph Katon vocis יְהוָה subdistinctiuus eius denuo vel secundo maior.

τὸν Sakeph Katon vocis דַּמֶּשֶׂק nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum eo, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem עַל inclusiue (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio huius Sakeph Katon patet vsque ad vocem עַל incl. (§. XXXXI. pr.). In hac vero ditione vnicus occurrit dux, Paschta nimirum (§. XII. et §. XIX. pr.). Hic Paschta est immediate minoris dignitatis, quam Sakeph Katon (§. cit.). Si ergo Paschta hic immediate excipit τὸν Sakeph Katon; sequitur, eum subdistinctiuum minorem esse τῷ Sakeph Katon (§. XXXXII. pr.). Atqui verum est antecedens (§. XXII. pr.). Ergo et consequens.

τὸν Sakeph Katon vocis יְהוָה nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum eo, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem

cem כֹּה inclusiue (§. XII. et §. XIX. et §. XXIII. cor. pr.). Ergo ditio huius Sakeph Katon pertingit vsque ad vocem כֹּה incluſ. (§. XXXXI. pr.). In hac ditione vnicus occurrit dux, Mahpach nimirum (obſ. 4.). Hic igitur Mahpach eſt immediate minoris dignitatis, quam Sakeph Katon ille (§. XII. et §. XIX. pr.). Quum ergo Mahpach hic immediate excipiat Sakeph Katon illum (§. XXII. pr.); ſequitur, Mahpachum hunc eſſe minorem ſubdiſtinctiuum dicti Sakeph Katon (§. XXXXII. pr.).

Collato nunc §o. XXVI. pr. ita dicito: Silluk cum Soph Paſuk habet pro minori Tiphcham, qui Tiphcha habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tbhir. Athnach habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Tiphcham, ac pro maiori τὸν Sakeph Katon vocis רִמְשֹׁק, qui Sakeph Katon habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Paſchtam; pro denuo maiori (habet Athnach) τὸν Sakeph Katon vocis יְחֹוָה, qui Sakeph Katon habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Mahpach.

SCHOL. De duobus Sakeph Katon huius verſus conf. §. XXXXIII. cor. pr.

Verſus quartus.

וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ בְּבֵית חֲזָאֵל וְאֹכְלָה אַרְמְנוֹת בֶּן־הֲדָד׃

Verſio. Ideo mittam ignem in domum Hazaelis, qui conſumet palatia Benhadadi.

Analyſis Accentuum.

Voci primae adiectus eſt Merca, ſecundae Tiphcha, tertiae Munach, quartae Athnach, quintae Tiphcha, ſextae Merca, ſeptimae Makkeph, et denique octauae Silluk cum Soph Paſuk (§. XII. pr.). Vox igitur prima cum ſecunda cohaeret gr. XIV, ſecunda cum tertia gr. V, tertia cum quarta gr. XIV, quarta cum quinta gr. II, quinta cum ſexta gr. V, ſexta cum ſeptima gr. XIV, ſeptima cum octaua gr. XV, octaua cum voce prima ſequentis verſus gr. I. ſeu minimo (§. cit.).

OBS. I. Merca vocis וְשִׁלַּחְתִּי, et Merca vocis אַרְמְנוֹת, nec non Munach vocis בְּבֵית ſunt coniunctiui (§. XII. et §. XVII. pr.).

OBS. II. Tiphcha vocis אֵשׁ, et Tiphcha vocis וְאָכְלָה, nec non Athnach vocis חֲזָאֵל, et Silluk vocis הֲדַד ſunt diſtinctiui (§. XII. et §. XVIII. pr.); ita vt Silluk et Athnach ſint imperatores, Tiphcha vero rex (§. XII. et XIX. pr.)

OBS. III. Gradus, quem Merca et Munach deſignant, pluribus indicari ſolet accentibus (§. XII. pr.). Quod ergo hi praeciſe adſint, nec alii eiusdem gradus, ex valore accentuum muſico deducendum eſt (§. XXXII. pr.).

Sil-

Sillukum nullus sequitur accentus, qui eiusdem cum illo, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem וְאָכְלָה incluſ. (§. XII. et §. XIX. pr.). Ergo ditio Silluki extendit se vsque ad vocem וְאָכְלָה incluſiue (§. XXXXI. pr.). In hac ditione vnicus ſolummodo occurrit immediate minoris, quam Silluk, dignitatis accentus, Tiphcha nimirum (§. XII. et §. XIX. pr.). Qui quum immediate ſequatur Sillukum (§. XXII. pr.); ſequitur, eum minorem ſubdiſtinctiuum eſſe Silluki (§. XXXXII. pr.). Athnachi ditio diffunditur vsque ad vocem וְשִׁלַּחְתִּי incluſ. (§. XII. §. XIX. et §. XXXXI. pr.); ac in hac ditione vnicus tantum occurrit accentus immediate minoris dignitatis, quam Athnach, Tiphcha nimirum (§. XII. et §. XIX. pr.). Quia igitur Tiphcha hic immediate excipit Athnachum (§. XXII. pr.); ſequitur, Tiphcham hunc eſſe ſubdiſtinctiuum Athnachi minorem (§. XXXXII. pr.).

Coll. nunc §. XXVI. pr. ita pronuncia: Silluk cum Soph Paſ. habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tiphcham, Athnach habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Tiphcham, praeuio ſeruo Merca.

APPLICATIO PRINCIPIORVM METRICORVM AD ACCENTVS, SACRO CODICI ADIECTOS, IN PSALMO PRIMO.

PSALMVS PRIMVS.

Vers. I.

אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר ׀ לֹא הָלַךְ בַּעֲצַת רְשָׁעִים
וּבְדֶרֶךְ חַטָּאִים לֹא עָמָד וּבְמוֹשַׁב לֵצִים לֹא
יָשָׁב׃

Versio. Beatitudines viri (*quantae sunt, i. e. beatissimus est vir*,) qui non ambulat in consilio improborum, et in via peccatorum non persistit, et in consessu irrisorum non sedet.

Analysis accentuum hujus versus.

Voci primae adiectus est Munach inferior, secundae Rbhia simplex, tertiae Psik Mahpachatus, quartae Merca, quintae Sarka postpositiuus, sextae Ierach, septimae Merca Mahpachatus, octauae Munach inferior, nonae Tiphcha anterior, decimae Munach inferior, vndecimae Athnach, duodecimae Merca, decimae tertiae Rbhia Gereschatus, decimae quartae Munach inferior, et denique decimae quintae s. vltimae Silluk cum Soph Pasuk (§. I. metr.).

Ideo-

Ideoque vox prima cum ſecunda cohaeret gr. X., ſecunda cum tertia gr. V., tertia cum quarta gr. VIII., quarta cum quinta gr. X., quinta cum ſexta gr. VI., ſexta cum ſeptima gr. X., ſeptima cum octaua gr. II., octaua cum nona gr. X., nona cum decima gr. VII, decima cum vndecima gr. X., vndecima cum duodecima gr. III., duodecima cum decima tertia gr. X, decima tertia cum decima quarta gr. IV, decima quarta cum decima quinta gr. X, et denique decima quinta ſ. vltima cum prima voce ſequentis verſus gr. I. (§. cit.).

OBS. I. Merca, vocibus לֹא, וּבְמִשְׁפָּט, Ierach voci בְּעֵצָת, nec non Munach, vocibus אַשְׁרֵי, וּבְרֵךְ et לֹא adiecti, ſunt coniunctiui (§. I. et VI. metr.).

OBS. II. Rbhia ſimplex vocis הָאִישׁ, Pſik Mahpachatus vocis אֲשֶׁר, Sarka poſtpoſitiuus vocis הָלַךְ, Merca Mahpachatus vocis רָשָׁעִים, Tiphcha anterior vocis חַטָּאִים, Athnach vocis עָמַד, Rbhia Gereſchatus vocis לָצִים et denique Silluk cum Soph Paſuk vocis יָשָׁב ſunt diſtinctiui (§. cit.); et ex his Silluk cum S. P. eſt imperator, Merca Mahpachatus Athnach et Rbhia Gereſchatus Reges, Rbhia ſimplex, Sarka poſtpoſitiuus et Tiphcha anterior duces, et denique Pſik Mahpacha-

chatus, quia est signum noni gradus, ac ipsum immediate praecedit dux Sarka postpositiuus, est comes (§. 22. pr. §. 1. et §. 7. metr.).

OBS. III. Gradus, quos Merca, Psik Mahpachatus Ierach et Munach inferior designant, pluribus indicantur accentibus, (§. 1. metr.). Quod ergo hi praecise adsint, nec alii, qui eosdem gradus designant, ex valore accentuum explicandum est musico (§. 2. metr. et §. 32. pr.).

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipso, vel maioris sit dignitatis, vsque ad vocem אַשְׁרֵי inclusiue (§. 1. et §. 7. et 9. metr.). Ditio igitur Silluki patet vsque ad vocem אשרי inclusiue (§. 41. pr.). In hac ditione tres occurrunt reges, Rbhia nimirum Gereschatus, Athnach, et Merca Mahpachatus (§. 1. et §. 7. metr.). Qui quum sint immediate minoris dignitatis, quam Silluk (§. cit.); sequitur, eum ex iis, qui Sillukum immediate excipit, esse subdistinctiuum Silluki minorem, eum vero, qui secundo loco eum sequitur, subdistinctiuum eius maiorem, et denique, qui tertio loco eum sequitur, denuo maiorem ipsius subdistinctiuum (§. 42. pr.). Atqui Rbhia Gereschatus primus Sillukum excipit, Athnach secundus, et Merca Mahpachatus tertius (§. 21. et 22. pr.). Ergo Rbhia Gereschatus est subdistinctiuus Silluki minor, Athnach subdistin-

ſtinctiuus eius maior, et tandem Merca Mahpachatus ſubdiſtinctiuus eius denuo maior.

Athnachum nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem ſit cum ipſo, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem וּבָרֶךְ incluſ. (§. 1. et §. 7. metr.). Ergo Athnachi ditio patet vsque ad vocem וּבָרֶךְ incluſ. (§. 41. pr.). In hac ditione vnicus occurrit immediate minoris, quam Athnach, dignitatis accentus, Tiphcha nimirum anterior (§. 1. et 7. metr.). Quum igitur Tiphcha hic anterior immediate ſequatur Athnachum (§. 22. pr.); ſequitur, eum ſubdiſtinctiuum Athnachi eſſe minorem (§. 42. pr.).

Mercam Mahpachatum nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipſo, vel maioris ſit dignitatis, vsque ad vocem אַשְׁרֵי incluſ. (§. 1. et §. 7. metr.). Ergo ditio Mercae Mahpachati patet vsque ad vocem אַשְׁרֵי incluſ. (§. 41. pr.). In hac ditione duo occurrunt immediate minoris, quam Merca Mahpachatus, dignitatis accentus, Sarka ſc. poſtpoſitiuus, et Rbhia ſimplex (§. 1. et 7. metr.). Quum igitur Sarka poſtpoſitiuus immediate, Rbhia vero ſimplex ſecundo loco Mercam Mahpachatum excipiat (§. 21. et 22. pr.); ſequitur, Sarkam poſtpoſitiuum eſſe ſubdiſtinc-

ti-

ctiuum Mercae Mahpachati minorem, Rbhiam vero ſimplicem eſſe ſubdiſtinctiuum eius maiorem.

Sarkae poſtpoſitiui ditio patet vsque ad vocem אֲשֶׁר incluſ. (§. 41. pr. et §. 1. et 7. metr.). In hac ditione vnicus occurrit immediate minoris, quam Sarka poſtpoſ. dignitatis, accentus, Pſik nimirum Mahpachatus (§. 1. et §. 7. metr. coll. obſ. 2.). Pſik vero hic Mahpachatus immediate excipit Sarkam poſtpoſitiuum (§. 22. pr.). Ergo Pſik hic Mahpachatus eſt minor ſubdiſtinctiuus Sarkae poſtpoſitiui (§. 42. pr.).

Collato nunc §o IX. metr., ita pronuncia: Silluk cum Soph Paſuk habet, praeuio ſeruo Munach inferiori, pro minori Rbhiam Gereſchatum, praeuio ſeruo Merca, pro maiori (habet Silluk) Athnachum, qui Athnach habet, praeuio ſeruo Munach inferiori, pro minori Tiphcham anteriorem, praeuio ſeruo Munach inferiori, pro denuo maiori (habet Silluk) Mercam Mahpachatum, qui Merca Mahpachatus habet, praeuio ſeruo Ierach, pro minori Sarkam poſtpoſitiuum, praeuio ſeruo Merca, qui Sarka poſtpoſitiuus habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Pſik Mahpachatum, ac pro maiori habet Mer-

(Merca Mahpachatus) Rbhiam ſimplicem, praeuio ſeruo Munach inferiori.

Verſus ſecundus.

כִּי | אִם־בְּתוֹרַת יְהוָה חֶפְצוֹ וּבְתוֹרָתוֹ יֶהְגֶּה יוֹמָם וָלָיְלָה׃

Verſio. Sed cuius delectatio eſt in lege diuina, et qui in lege eius meditatur die nocteque.

Analyſis accentuum huius verſus.

Voci primae adiectus eſt Pſik Mahpachatus, ſecundae Makkeph, tertiae Merca, quartae Rbhia ſimplex, quintae Merca Mahpachatus, ſextae Merca, ſeptimae Rbhia Gereſchatus, octauae Merca, nonae vero ſ. vltimae Silluk cum Soph Paſuk (§. 1. metr.). Ideoque vox prima cum ſecunda cohaeret gr. IX, ſecunda cum tertia gr. XI, tertia cum quarta gr. X, quarta cum quinta gr. V., quinta cum ſexta gr. II, ſexta cum ſeptima gr. X, ſeptima cum octaua gr. IV, octaua cum nona gr. X, nona ſ. vltima cum prima ſequentis verſus gr. I. (§. cit.).

OBS. I. Merca vocis בְּתוֹרַת vocis וּבְתוֹרָתוֹ et vocis יוֹמָם eſt coniunctiuus (§. 1. et 6. metr.).

OBS.

OBS. II. Pſik Mahpachatus vocis כִּי, Rbhia ſimplex vocis יְהוָֹה, Merca Mahpachatus vocis הֶפְצוֹ, Rbhia Gereſchatus vocis יֶהְגֶּה, et denique Silluk cum S.P. vocis וָלַיְלָה ſunt diſtinctiui (§. cit.); ita vt Silluk ſit imperator, Merca Mahpachatus et Rbhia Gereſchatus reges, Rbhia ſimplex dux, ac Pſik Mahpachatus, quia immediate ſequitur ducem Rbhiam ſimplicem (§. 22. pr. §. 1. et §. 7. metr.), comes (§. 1. et §. 7. metr.).

OBS. III. Gradus, quos Pſik Mahpachatus et Merca indicant, pluribus deſignari ſolent accentibus (§. 1 metr.). Quod ergo hi praeciſe adſint, nec alii, qui eosdem nexus deſignant gradus, ex valore accentuum muſico explicandum eſt (§. 2. metr. et §. 32. pr.).

OBS. IV. De poſitu Rbhiae Gereſchati ac Merca Mahpachati conf. §. 4. metr.

Sillukum nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem cum ipſo, vel maioris ſit dignitatis, vsque ad vocem primam huius verſus (§. 1. et §. 7. metr.). Ditio igitur Silluki continuatur vsque ad vocem primam huius verſus (§. 41. pr.). In hac ditione duo occurrunt immediate minoris, quam Silluk, dignitatis accentus, Rbhia nimirum Gereſchatus, et Merca Mahpachatus (§. 1. et 7. metr.). Ex his Rbhia Gereſchatus Sillukum immediate excipit, Mer-

Merca vero Mahpachatus secundo loco (§. 21. et 22. pr.). Ideoque Rbhia Gereschatus est subdistinctiuus Silluki minor, Merca vero Mahpachatus subdistinctiuus eius maior (§. 42. pr.).

Ex his Silluki subdistinctiuis Mercae Mahpachati ditio durat vsque ad initium huius versus (§. 41 pr. §. 1. 7. et 9. metr.). In hac ditione vnicus adest accentus immediate minoris, quam Merca Mahpachatus, dignitatis, Rbhia sc. simplex (§. 1. 7. et 9. metr.). Quum igitur hic immediate sequatur Mercam Mahpachatum (§. 22. pr.); sequitur, eum minorem esse Mercae Mahpachati subdistinctiuum (§. 42. pr.).

Huius Rbhiae simpl. ditio se extendit vsque ad initium huius versus (§. 41. pr. et §. 1. et 7. metr.). In hac ditione vnicus adest immediate minoris, quam Rbhia simplex, dignitatis, Psik sc. Mahpachatus (§. 1. et 7. metr.). Qui quum immediate excipiat Rbhiam simplicem (§. 22. pr. §. 1. 7. et 9. metr.); sequitur, eum subdistinctiuum Rbhiae simplicis esse minorem (§. 42. pr.).

Collato nunc §o IX. metr. ita dicito: Silluk cum Soph Pasuk habet, praeuio seruo Merca, pro minori Rbhiam Gereschatum, praeuio seruo Merca; pro maiori habet Silluk Mercam Mahpachatum, qui Merca Mahpachatus habet pro minori Rbhiam simplicem, qui Rbhia simplex habet, praeuio

uio ſeruo Merca, pro minori Pſik Mahpachatum.

Verſus tertius.

וְהָיָה כְּעֵץ שָׁתוּל עַל־פַּלְגֵי־מָיִם אֲשֶׁר
פִּרְיוֹ ׀ יִתֵּן בְּעִתּוֹ וְעָלֵהוּ לֹא־יִבּוֹל וְכֹל
אֲשֶׁר־יַעֲשֶׂה יַצְלִיחַ׃

Verſio. Nam eſt vti arbor plantata iuxta riuos aquarum, quae fructum ſuum dat tempore ſuo, et cuius folium non marceſcit: et omnia, quae agit, feliciter agit.

Analyſis Accentuum huius verſus.

Voci primae adiectus eſt Rbhia ſimplex, ſecundae Sarka poſtpoſitiuus, tertiae Telisch, quartae Makkeph, quintae Makkeph, ſextae Merca Mahpachatus, ſeptimae Mahpach, octauae Pſik Kadmatus, nonae Munach ſuperior, decimae Rbhia ſimplex, vndecimae Merca, duodecimae Makkeph, decimae tertiae Athnach, decimae quartae Tiphcha tonicus, decimae quintae Makkeph, decimae ſextae Munach inferior, et denique vltimae Silluk cum Soph Paſuk (§. 1. metr.). Ideoque vox prima cum ſecunda cohaeret gr. V, ſecunda cum tertia gr. VI, tertia cum quarta gr. X, quarta cum quinta gr. XI, quinta cum ſexta gr. XI, ſexta cum ſeptima gr. II, ſeptima cum octaua gr. X, octaua cum nona gr. IX, nona cum

cum decima gr. X, decima cum vndecima gr. V, vndecima cum duodecima gr. X, duodecima cum decima tertia gr. XI, decima tertia cum decima quarta gr. III, decima quinta cum decima sexta gr. XI, vltima cum prima sequentis versus gr. I.

OBS. I. Ex duobus his accentibus, Tiphcha ton. vocis וְכֹל, et Munach infer. vocis יַעֲשֶׂה, vnus est signum noni, et alter signum decimi gradus (§. 8. metr.); et quidem, quia וְכֹל magis cohaeret cum יַעֲשֶׂה—אֲשֶׁר, quam יַעֲשֶׂה—אֲשֶׁר cum יַצְלִיחַ, Munach inferior vocis יַעֲשֶׂה est signum noni gradus, et Tiphcha tonicus vocis וְכֹל signum decimi gradus (§. cit.). Ideoque vox decima quarta cum decima quinta cohaeret gr. X, vox vero decima sexta cum decima septima gr. IX.

OBS. II. Ierach vocis שָׁחוֹל, Mahpach vocis אֲשֶׁר, Munach superior vocis יִתֵּן, Merca vocis וְעַלְהוּ, et Tiphcha tonicus vocis וְכֹל sunt coniunctiui (§. 1. et 6. metr. coll. obs. praec.).

OBS. III. Rbhia simplex Sarka postpositiuus Merca Mahpachatus Psik Kadmatus Athnach Munach inferior et Silluk cum S. P. sunt distinctiui (§. 1. et 6. metr. coll. obs. 1.); ita vt Silluk sit imperator, Merca Mahpachatus et Athnach reges, Rbhia simpl. et Sarka postp. duces, Psik vero Kadmatus, quia est signum noni gradus, ac immediate sequitur ducem

(§. 22. pr. §. 1. et 7. metr.), sit comes (§. 7. metr.); ac Munach inferior, quia est signum noni gradus, ac immediate sequitur imperatorem (§. 22. pr. §. 1. et §. 7. metr.) sit rex (§. 7. metr.).

OBS. IV. Gradus, quos Ierach Mahpach. Psik Kadmatus Munach superior Merca Tiphcha tonicus, et Munach inferior designant, pluribus indicari solent accentibus (§. 1. metr.). Quod ergo hi potius adsint, quam alii eorundem graduum, ex valore accentuum musico deriuandum est (§. 32. pr.).

OBS. V. De positu Mercae Mahpachati conf. §. 4. metr.

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem primam huius versus (§. 1. et 7. et 9. metr.). Ideoque ditio Silluki se extendit vsque ad vocem primam huius versus (§. 41. pr.). In hac ditione tres sunt accentus immediate minoris, quam Silluk, dignitatis, Munach nimirum vocis יַעֲשֶׂה (obs. 3.) Athnach, et Merca Mahpachatus (§. 1. et 7. et 9. metr.). Ergo is ex tribus his accentibus, qui immediate sequitur Sillukum, est subdistinctiuus Silluki minor, qui secundus illum sequitur, subdistinctiuus eius maior, et qui tertius illum excipit, subdistinctiuus eius denuo vel secundo maior (§. 42. pr.). Atqui Munach inferior vocis יַעֲשֶׂה immediate Sillukum

kum ſequitur, Athnach ſecundus, et Merca Mahpachatus tertius (§. 21. et 22. pr.). Ergo Munach inferior vocis יַעֲשֶׂה eſt ſubdiſtinctiuus Silluki minor, Athnach ſubdiſtinctiuus eius maior, et Merca Mahpachatus ſubdiſtinctiuus eius denuo vel ſecundo maior.

Athnachum nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem ſit cum ipſo, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר incluſ. (§. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Ergo ditio Athnachi protrahitur vsque ad vocem אֲשֶׁר incluſ. (§. 41. pr.). In hac ditione vnicus occurrit accentus immediate minoris, quam Athnach, dignitatis, Rbhia nimirum ſimplex vocis בְּעֵתוֹ (§. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Quum igitur Rbhia hic ſimplex immediate ſequatur Athnachum (§. 22. pr.); ſequitur, eum ſubdiſtinctiuum Athnachi eſſe minorem (§. 42. pr.)

Rbhiam hunc ſimplicem nullus ſequitur accentus, qui vel eiusdem ſit cum ipſo, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem אֲשֶׁר incl. (§. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Ideoque ditio eius protrahi ſe vsque ad vocem אֲשֶׁר incluſ. (§. 41. pr.). In hac ditione vnicus occurrit accentus immediate minoris dignitatis, quam Rbhia ſimplex, Pſik nimirum Kadmatus. (§. 1. §. 7. et 9. metr.). Quum igitur Pſik hic Kadmatus immediate excipiat Rbhiam ſimplicem (§. 22. pr. et §. 9. metr.); ſequitur, eum eſſe minorem

Rbhiae simplicis subdistinctiuum (§. 42. pr.). Mercam Mahpachatum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem huius versus primam incl. (§. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Ditio igitur Mercae Mahpachati pertingit vsque ad primam vocem incl. (§. 41. pr.). In hac ditione duo occurrunt accentus immediate minoris, quam Merca Mahpachatus, dignitatis, Sarka nimirum postpositiuus, et Rbhia simplex (§. 1. §. 7. et 9. metr.). Quum igitur Sarka postpositiuus immediate excipiat Mercam Mahpachatum, Rbhia vero simplex secundo loco (§. 21. et 22. pr.); sequitur, Sarkam postpositiuum esse minorem Mercae Mahpachati subdistinctiuum, Rbhiam vero simplicem subdistinctiuum eius maiorem (§. 42. pr.)

Collato nunc §o IX metr. ita pronunciato: Silluk cum Soph Pasuk habet pro minori Munachum inferiorem, praeuio seruo Tiphcha tonico, pro maiori (habet Silluk) Athnachum, qui Athnach habet, praeuio seruo Merca pro minori Rbhiam simplicem, qui Rbhia simplex habet, praeuio seruo Munach superiori, pro minori Psik Kadmatum, praeuio seruo Mahpach, pro denuo vel secundo maiori (habet Silluk) Mercam Mahpachatum, qui Merca Mahpachatus habet, praeuio seruo Ierach, pro minori Sarkam postpositiuum, et pro maiori Rbhiam simplicem.

Ver-

Verſus quartus.

לֹא־כֵן רְשָׁעִים כִּי אִם־כַּמֹּץ אֲשֶׁר־תִּדְּפֶנּוּ רוּחַ׃

Verſio. Non ita ſe habent improbi: ſed ſunt ſicuti gluma, quam diſpellit ventus.

Analyſis accentuum huius verſus.

Voci primae adiectum vides Makkeph, ſecundae Mercam, tertiae Athnachum, quartae Mercam, quintae Makkeph, ſextae Rbhiam Gereſchatum, ſeptimae Makkeph, octauae Mercam, nonae vero ſ. vltimae Sillukum cum S. P. (§. 1. metr.). Ideoque vox prima cum ſecunda cohaeret gr. XI, ſecunda cum tertia gr. X, tertia cum quarta gr. III, quarta cum quinta gr. X, quinta cum ſexta gr. XI, ſexta cum ſeptima gr. IV, ſeptima cum octaua gr. XI, octaua cum nona gr. X. nona cum prima ſequentis verſus gr. primo ſ. minimo (§. cit.). Vox igitur prima magis cohaeret cum ſecunda, quam ſecunda cum tertia, ſecunda cum tertia magis, quam tertia cum quarta, tertia cum quarta minus, quam quarta cum quinta, quarta cum quinta minus, quam quinta cum ſexta, quinta cum ſexta magis, quam ſexta cum ſeptima, ſexta cum ſeptima minus, quam ſeptima cum octaua, ſeptima cum octaua magis, quam octaua cum nona, octaua cum nona magis, quam nona cum prima ſequentis verſus (§. cit.)

OBS. I. Merca est coniunctiuus, Athnach vero, Rbhia Gereschatus, et Silluk cum S. P. sunt distinctiui (§. 6. metr.); ita vt Silluk cum Soph Pasuk sit imperator, Athnach vero et Rbhia Gereschatus reges (§. 1. et 7. metr.).

OBS. II. Gradus, quem Merca designat, pluribus indicari solet accentibus (§. 1. metr.). Quod ergo hic potius adsit, quam alius eiusdem gradus, ex valore accentuum repetendum est musico (§. 32. pr.).

OBS. III. De positu Rbhiae Gereschati conferatur §. 4. metr.

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem huius versus primam (§. 21. pr. §. 1. 7. et 9. metr.). Ideoque ditio Silluki protrahitur vsque ad vocem primam huius versus (§. 41. pr.). In hac ditione duo deprehenduntur distinctiui immediate minoris dignitatis, quam Silluk, Rbhia nimirum Gereschatus, et Athnach (§. 1. et §. 7. metr.). Quum igitur Rbhia Gereschatus immediate excipiat Sillukum, Athnach vero secundo loco (§. 21. et 22. pr.); sequitur, Rbhiam Gereschatum esse subdistinctiuum Silluki minorem, Athnachum vero subdistinctiuum eius maiorem (§. 42. pr.).

Collato nunc §o 9. metr. ita dicito: Silluk cum S. P. habet, praeuio seruo Merca, pro minori Rbhiam Gereschatum, praeuio ser-

ſeruo Merca, ac pro maiori (habet Silluk) Athnachum, praeuio ſeruo Merca.

Verſus quintus.

עַל־כֵּן ׀ לֹא־יָקֻמוּ רְשָׁעִים בַּמִּשְׁפָּט
וְחַטָּאִים בַּעֲדַת צַדִּיקִים׃

Verſio. Propterea non perſiſtent improbi in iudicio, et peccatores in congregatione iuſtorum.

Analyſis accentuum huius verſus.

Voci primae adiectus eſt Makkeph, ſecundae Pſik Mahpachatus, tertiae Makkeph, quartae Munach inferior, quintae Tiphcha anterior, ſextae Athnach, ſeptimae Rbhia Gereſchatus, octauae Merca, nonae Silluk cum Soph Paſuk (§. 1. metr.). Vox igitur prima cum ſecunda cohaeret gr. XI, ſecunda cum tertia gr. IX, tertia cum quarta gr. XI, quarta cum quinta gr. X, quinta cum ſexta gr. VII, ſexta cum ſeptima gr. III, ſeptima cum octaua gr. IV, octaua cum nona gr. X, nona cum prima ſequentis verſus gr. I. ſ. minimo (§. 1. metr.). Vox ergo prima magis connexa eſt cum ſecunda, quam ſecunda cum tertia, ſecunda cum tertia minus, quam tertia cum quarta, tertia cum quarta magis, quam quarta cum quinta, quarta cum quinta magis, quam quinta cum ſexta, quinta cum ſexta magis, quam ſexta cum ſeptima, ſexta cum ſeptima minus,

nus, quam septima cum octaua, septima cum octaua minus, quam octaua cum nona, octaua cum nona magis, quam nona cum prima sequentis versus (§.cit.)

OBS. I. Munach inferior et Merca sunt coniunctiui, Psik vero Mahpachatus, Tiphcha anterior, Athnach, Rbhia Gereschatus, et Silluk cum S. P. sunt distinctiui (§. 6. metr.); ita vt Silluk cum S. P. sit imperator, Athnach et Rbhia Gereschatus reges, Tiphcha anterior dux, Psik vero Mahpachatus, quia est signum noni gradus, ac immediate praecedit dux, comes (§. 22. pr §. 1. et 7. metr.)

OBS. II. Gradus, quos Psik Mahpachatus, Merca, et Munach inferior indicant, pluribus designari solent accentibus (§. 1 metr.). Quod ergo hi potius adsint, quam alii, qui eorundem sunt graduum signa, ex valore accentuum musico repetendum est (§. 32. pr.).

Sillukum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis vsque ad vocem huius versus primam (§. 21. pr. §. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Silluki igitur ditio patet vsque ad vocem huius versus primam (§. 41. pr.). In hac ditione duo occurrunt immediate minoris, quam Silluk, dignitatis accentus, Rbhia nimirum Gereschatus, et Athnach (§. 1. §. 7. §. 9. metr.). Ex his Rbhia Gereschatus immediate excipit Sillukum, Athnach vero

vero secundo loco (§. 21. et 22. pr.). Ergo Rbhia Gereschatus est subdistinctiuus Silluki minor, Athnach vero subdistinctiuus eius maior (§. 42. pr.).

Athnachum nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem huius versus primam (§. 21. pr. §. 1. §. 7. et 9. metr.). Ditio igitur Athnachi se extendit vsque ad vocem huius versus primam (§. 41. pr.). In hac ditione vnicus occurrit accentus immediate minoris, quam Athnach, dignitatis, Tiphcha sc. anterior (§. 1. §. 7. §. 9. metr.). Quum igitur Tiphcha hic anterior immediate excipiat Athnachum (§. 22. pr.); sequitur, eum esse minorem Athnachi subdistinctiuum (§. 42. pr.).

Tiphcham anteriorem nullus sequitur accentus, qui vel eiusdem sit cum ipso, vel maioris dignitatis, vsque ad vocem huius versus primam (§. 21. pr. §. 1. §. 7. et §. 9. metr.). Ditio ergo Tiphchae anterioris patet vsque ad vocem huius versus primam (§. 41. pr.). In hac ditione vnicus occurrit accentus immediate minoris, quam Tiphcha anterior, dignitatis, Psik nimirum Mahpachatus (§. 1. §. 7. metr. coll. obs. 1.). Quum igitur Psik hic Mahpachatus immediate excipiat Tiphcham anteriorem (§. 22. pr.); sequitur, Psik Mahpachatum esse minorem Tiphchae anterioris subdistinctiuum (§. 42. pr.).

Col-

Collato nunc §o 9. metr. hunc in modum dicere poteris: Silluk cum Soph Pasuk habet, praeuio seruo Merca, pro minori Rbhiam Gereschatum, pro maiori (habet Silluk) Athnachum; qui Athnach habet pro minori Tiphcham anteriorem, qui Tiphcha anterior habet, praeuio seruo Munach inferiori, pro minori Psik Mahpachatum.

Versus sextus.

כִּי־יוֹדֵעַ יְהוָה דֶּרֶךְ צַדִּיקִים וְדֶרֶךְ רְשָׁעִים תֹּאבֵד׃

Versio. Nam nouit deus viam iustorum; sed via improborum peribit.

Analysis accentuum huius versus.

Voci primae adhaeret Makkeph, secundae Munach inferior, tertiae Tiphcha anterior, quartae Munach inferior, quintae Athnach, sextae Tiphcha tonicus, septimae Munach inferior, octauae Silluk cum S.P. (§. 1. metr.). Vox igitur prima cum secunda cohaeret gr. XI, secunda cum tertia gr. X, tertia cum quarta gr. VII, quarta cum quinta gr. X, quinta cum sexta gr. III, sexta cum septima gr. aut IX, aut X, septima cum octaua gr. aut IX, aut X, octaua cum prima sequentis versus gr. I. (§. 1. metr.). Vox igitur prima magis cohaeret cum

cum secunda, quam secunda cum tertia, secunda cum tertia magis, quam tertia cum quarta, tertia cum quarta minus, quam quarta cum quinta, quarta cum quinta magis, quam quinta cum sexta, quinta cum sexta minus, quam sexta cum septima, septima cum octaua magis, quam octaua cum prima subsequentis versus (§. cit.).

OBS. I. Voci sextae et septimae adiectae sunt figurae decimi gradus (§. 1. metr.). Quum igitur voces hae se immediate excipiant; sequitur, vnam illarum esse signum noni, et alteram signum decimi gradus (§. 8. metr.): et quidem ita, vt, quia vox וּרְךָ magis cohaeret cum רְשָׁעִים, quam רְשָׁעִים cum תְּאַבֵּר, Tiphcha tonicus sit signum decimi, et Munach inferior signum noni gradus (§. cit.).

OBS. II. Munachi inferiores vocum יוֹרֵעַ et וּרְךָ sunt signa decimi gradus (§. 1. metr.); ergo sunt coniunctiui (§. 6. metr.).

OBS. III. Tiphcha anterior, Athnach, Munach inferior vocis רְשָׁעִים, et Silluk cum Soph Pasuk sunt distinctiui (§. 1. et 6. metr. coll. obs. 1.); ita, vt Silluk cum S. P. sit imperator, Athnach rex, Tiphcha anterior dux, et denique Munach inferior, quia immediate praecedit imperator (§. 22. pr. §. 1. et 7. metr.), rex (§. 7. metr. coll. obs. 1.).

OBS. IV. Gradus, quos Munach inferior et Tiphcha tonicus indicant, pluribus designari so-

solent accentibus (§. 1. metr.). Quod igitur hi praecise adsint, nec alii eorundem graduum, ex valore accentuum explicandum est musico (§. 2. metr. et §. 32. pr.).

Silluki ditio patet vsque ad initium versus (§. 41. pr. §. 1. §. 7. §. 9 metr.). In hac ditione duo occurrunt distinctiui immediate minoris, quam Silluk, dignitatis, Munach nimirum inferior vocis רשעים et Athnach (obs. 3.). Ex his vero Munach inferior est subdistinctiuus Silluki minor, ac Athnach subdistinctiuus eius maior (§. 21. §. 22. et §. 42. pr.).

Athnachi ditio patet vsque ad initium versus (§. 41. pr. §. 1. §. 7. §. 9. metr.). In hac ditione vnicus est dux, Tiphcha sc. anterior (§. 1. et §. 7. et 9. metr.). Qui quum immediate excipiat Athnachum (§. 22. pr. et § 9. metr.); sequitur, eum subdistinctiuum Athnachi esse minorem (§. 42. pr.).

Collato igitur §o 9 metr. sequentem in modum dicito: Silluk cum S. P. habet pro minori Munachum inferiorem, praeuio seruo Tiphcha tonico, ac pro maiori (habet Silluk) Athnachum, qui Athnach habet, praeuio seruo Munach inferiori, pro minori Tiphcham anteriorem, praeuio seruo Munach inferiori.

ANA-

ANALYSIS PRAECEPTI PRIMI EXOD. XX v. 2. vsque ad 7. SECVNDVM PRINCIPIA DVPLICIS ACCENTVATIONIS.

Versus Sextus cap. XX. exodi.

Voci vltimae adiecta est vnica accentus figura, et quidem ideo, quia vox haec eodem modo praelegitur in mense Schebat, quo in festo pentecostes (sect. 7 §. 9.). Figura igitur haec est tum accentus praeceptiuus, tum versicularis (sect. 7. §. 20.).

Idem iudicium fiat de voce quinta et quarta.

SCHOL. Quum in sequentibus nullam sectionem citatam videbis, euolue sectionem septimam.

Voci tertiae duae adiectae sunt accentuum figurae. Vna igitur illarum est accentus, ac altera mera nota musica (sect. 6. §. 7.). Quaenam vero illarum sit accentus, et quaenam mera nota sit musica, ita determino: Ea ex iis, quae est accentus versicularis, est accentus, proprie sic dictus, ea vero, quae est accentus praeceptiuus, est mera nota musica (§. 22.); atqui Athnach est accentus versicularis, et Sakeph Katon accentus praeceptiuus (§. 12. et 19. pr. et §. 15.): Ergo Athnach est verus accentus, Sakeph Katon vero mera nota musica.

Tiph-

חָסֵר Tiphcha eſt accentus verſicularis, Paſchta vero accentus praeceptiuus (§. 12. et 19. pr. et §. 15.). Ideoque Tiphcha eſt accentus, Paſchta vero mera nota muſica (§. 22.).

וְעִשִּׂיתָ Mahpach non referri poteſt ad Tiphcham, ſed tantummodo ad Paſchtam (c. Tab.). Ergo Mahpach referendus eſt ad Paſchtam, et Merca ad Tiphcham (§. 12. pr et §. 19.). Quum igitur Tiphcha ſit acccentus verſicularis ſ. verus, Paſchta vero accentus praeceptiuus ſ. mera nota muſica (c. vox חָסֵר); ſequitur, Mercam eſſe accentum verſicularem, adeoque verum, Mahpachum vero accentum praeceptiuum, adeoque meram notam muſicam.

Series igitur accentuum verſicularium huius verſus eſt ſequens:

Qui, vti ex praxi accentuationis proſaicae patet, ita ſunt pronunciandi: Silluk cum Soph Paſuk habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tiphcham. Athnach habet pro minori Tiphcham, praeuio ſeruo Merca.

Series vero accentuum praeceptiuorum haec erit:

Silluk

Silluk cum S. P. habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tiphcham, ac pro maiori (habet Silluk) τὸν Sakeph Katon, qui (Sak. Kat.) habet pro minori Paſchtam repetitum (§. 15. ſch. 1. pr.), praeuio ſeruo Mahpach.

Verſus quintus.

לִשְׁנֵאִי׃ Silluk cum Soph Paſ. eſt accentus verſicularis, Athnach vero praeceptiuus (§. 12. pr. et 16.). Silluk igitur eſt accentus verus, Athnach vero mera nota muſica (§. 22.).

רִבְעִים Tiphcha eſt accentus praeceptiuus et verſicularis ſimul (§. 20.).

וְעַל־ Makkeph eſt accentus praeceptiuus et verſicularis (§. 20.).

שִׁלְשִׁים Merca eſt accentus tum praeceptiuus, tum verſicularis (§. cit.).

עַל־ Makkeph eſt accentus praeceptiuus et verſicularis (§. cit.).

בָּנִים Tbhir eſt accentus praeceptiuus et verſicularis (§. cit.). Et ſic ſe res habet vsque ad vocem.

תֵּעָבֵרֵם׃ Athnach eſt accentus verſicularis, ideoque verus, Sgholta vero accentus praecepti-

ceptiuus, ideoque mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

וְלֹא Munach est accentus praeceptiuus et versicularis (§. 20.).

לָהֶם Tiphcha est versicularis ideoque verus accentus, Sarka vero praeceptiuus, ac ideo mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

תִּשְׁתַּחֲוֶה Munach non referri potest ad Tiphcham, sed tantummodo ad Sarkam (c. Tab.). Munach igitur referendus est ad Sarkam, et Merca ad Tiphcham (§. 12. pr. et §. 19.). Quum igitur Tiphcha sit versicularis, Sarka vero praeceptiuus accentus (c. vox לָהֶם); sequitur, Mercam quoque esse accentum versicularem ideoque verum, Munachum vero accentum praeceptiuum ideoque meram notam musicam (§. 22.).

לֹא־ Makkeph est accentus praeceptiuus et versicularis (§. 20.).

Series igitur accentuum versicularium huius versus haec est:



Quos

Quos ita pronunciare poteris: Silluk cum S. P. habet pro minori Tiphcham, qui, praeuio ſeruo Merca, pro minori habet Tbhirum, qui (Tbhir) pro minori habet Dargam, praeuio ſeruo Kadma (§. 12. 24. 25. pr.), ac pro maiori Tliſcham Ghdholam; pro maiori (habet Silluk) τὸν Sakeph Katon, qui, praeuio ſeruo Munach, pro minori habet Paſchtam, qui Paſchta habet, praeuio ſeruo Mahpach, pro minori Garſchaiim, praeuio ſeruo Munach: Athnach habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Tiphcham, praeuio ſeruo Merca.

Verſus quartus.

לָאָרֶץ׃ Silluk cum S. P. eſt accentus verſicularis, Rbhia vero praeceptiuus (§. 12. §. 19. pr. et §. 15.). Silluk igitur cum S. P. eſt accentus verus, Rbhia vero mera nota muſica (§. 22.).

מִתַּחַת Munach non poteſt referri ad Sillukum, ſed tantummodo ad Rbhiam (c. Tab.). Ad Rbhiam igitur referendus eſt, ac Merca ad Sillukum (§. 12. pr. et §. 19.). Merca igitur eſt accentus verſicularis ac

verus, Munach vero accentus praeceptiuus ac mera nota musica (c. vox לארץ).

בַּמַּיִם Psik Munachatus est figura decimi tertii gradus, Tiphcha vero minoris, quam decimi tertii (§. 12 pr.). Tiphcha igitur est versicularis, ac Psik Munachatus praeceptiuus accentus (§. 15. cor.). Tiphcha ergo est accentus verus, ac Psik Munachatus mera nota musica (§. 22.).

וַאֲשֶׁר Merca est accentus versicularis et praeceptiuus (§. 20.).

מִתָּחַת Athnach est accentus versicularis, ideoque verus, Geresch vero praeceptiuus, ac hanc ob caussam mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

בָּאָרֶץ Kadma est figura decimi tertii gradus, ac Tiphcha minoris gradus, quam decimi tertii (§. 12. 24. 25. pr.). Tiphcha igitur est accentus versicularis ac verus, Kadma vero praeceptiuus, ideoque mera nota musica (§. 15. cor. et. §. 22.).

וַאֲשֶׁר Nec Tlischa Ktanna referri potest ad Tiphcham, nec Merca ad Kadmam, sed Tlischa potius Ktanna ad Kadmam, et Merca ad Tiphcham (c. Tab.). Merca igitur referri debet ad Tiphcham, et Tlischa Ktanna ad Kadmam (§. 12. pr et §. 19.

§. 19.). Quum igitur Tiphcha sit accentus versicularis ac verus, Kadma vero praeceptiuus ac mera nota musica (c. vox בְּאֶרֶץ); sequitur, Mercam esse accentum versicularem, ac verum, Tlischam vero Ktannam praeceptiuum, ac meram notam musicam.

מְמַּעַל Paser est minoris dignitatis, quam Sakeph Katon (§. 12. et 19. pr.). Paser igitur est accentus praeceptiuus, ac mera nota musica, Sakeph vero Katon versicularis, ideoque verus (§. 15. et 22.).

בַּשָּׁמַיִם Psik Munachatus est accentus praeceptiuus, ac adeo mera nota musica, Paschta vero accentus versicularis ac verus (§. 12. et §. 15. sch. 1. et §. 19. pr. §. 15. cor. et §. 22.).

אֲשֶׁר Mahpach tantummodo referri potest ad Paschtam, et Munach solummodo ad Psik Munachatum (c. Tab.). Mahpach igitur referendus est ad Paschtam, et Munach ad Psik Munachatum (§. 12. pr. et §. 19.). Mahpach ergo est accentus versicularis, ac verus, ac Munach, praeceptiuus, s. mera nota musica (c. vox בשמים)

תְּסוּבֶּה Paser est accentus praeceptiuus, adeoque mera nota musica, Sakeph Katon

vero verſicularis, atque adeo accentus verus (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

וְכָל־ Makkeph eſt accentus praeceptiuus et verſicularis (§. 20.).

פְּסֵל֙ Pſik Munachatus eſt accentus praeceptiuus, ideoque mera nota muſica, Paſchta vero accentus verſicularis ac verus (§. 12. et 15. ſchol. 1. pr. §. 15. cor. et §. 22.).

לְךָ֔ Munach referendus eſt ad Pſik Munachatum, et Merca ad Paſchtam (§. 12. pr. §. 19. c. Tab.). Munach igitur eſt accentus praeceptiuus ac mera nota muſica, Merca vero verſicularis ideoque verus accentus (c. vox פסל).

תַּעֲשֶׂה Munach referendus eſt ad Munachum, et Kadma ad Mercam (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Ergo Munach eſt accentus praeceptiuus, ac mera nota muſica, Kadma vero verſicularis ac verus (c. vox לך).

לְא־ Munach tantummodo referri poteſt ad Munachum (c. Tab.). Munach igitur referendus eſt ad Munachum, et Makkeph ad Kadmam (§. 18.). Ergo Munach eſt accentus praeceptiuus ac mera nota muſica, Makkeph

kepch vero accentus verſicularis ac verus (c. vox תעשׂה).

Series igitur accentuum verſicularium huius verſus haec erit:



Quos, ſimul ſumtos, ductu principiorum proſaicorum hunc in modum pronunciare poteris: Silluk cum S. P. habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tiphcham, praeuio ſeruo Merca. Athnach habet pro minori Tiphcham, praeuio ſeruo Merca, ac pro maiori τὸν Sakeph Katon, qui (Sakeph Katon) habet pro minori Paſchtam, praeuio ſeruo Mahpach, pro denuo maiori (habet Athnach) τὸν Sakeph Katon, qui pro minori habet Paſchtam, qui pro minori habet Mercam, praeuio ſeruo Kadma.

פָּנַי Silluk cum S. P. est accentus versicularis, ac verus, Rbhia vero, praeceptiuus ac mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.). Ergo Silluk pertinet ad praelectionem mensis Schebat, et Rbhia ad praelectionem pentecostalem (§. 11.). Ad Sillukum respicit Kamez, et ad Rbhiam Patach (§. 27. gr. Danz.). Ergo Kamez pertinet ad praelectionem mensis Schebat, Patach vero ad praelectionem pentecostalem. Ergo vox haec non legenda est *panaia*, sed *panai*.

עַל־ Makkeph est accentus praeceptiuus et versicularis (§. 20.).

אַחֲרִים Tiphcha est accentus Versicularis, ac verus, Gerescb vero praeceptiuus, ac mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

אֱלֹהִים Merca referendus est ad Tiphcham, et Kadma ad Gereschum (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Ergo Merca est accentus versicularis, ac verus, Kadma vero praeceptiuus, ac mera nota musica (c. vox אחרים).

Tbhir

לְהָ Tbhir est accentus versicularis ac verus, Tlischa vero Ktanna praeceptiuus ac mera nota musica (§. 12. 19. et §. 26. pr. §. 15. cor. et Schol. et §. 22.).

יְהוָה Merca referendus est ad Tbhirum, Munach vero ad Tlischam Ktannam (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Ergo Merca est accentus versicularis et verus, Munach vero praeceptiuus, ac mera nota musica (c. vox לך).

לְא— Munach tantummodo referri potest ad Munachum (c. Tab.). Munach igitur referendus est ad Munachum, et Makkeph ad Mercam (§. 18.). Munach ergo est accentus praeceptiuus, ac mera nota musica, Makkeph vero accentus versicularis ac verus (c. vox יהוה).

Series igitur accentuum versicularium huius versus haec erit:



Quos ita enunciare poteris: Silluk cum S. P. habet pro minori Tiphcham, qui, praeuio ſeruo Merca, pro minori habet Tbhirum, praeuio ſeruo Merca.

Verſus ſecundus.

עִבְרִים Silluk cum S. P. eſt accentus verſicularis, ac verus, Rbhia vero praeceptiuus, ac mera nota muſica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

מִבְּנֵי Merca referendus eſt ad Sillukum, et Munach ad Rbhiam (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Merca ergo eſt accentus verſicularis, ac verus, Munach vero praeceptiuus ac mera nota muſica (c. vox עִבְרִים).

מִצְרַיִם Tiphcha eſt accentus verſicularis, ac verus, Gereſch vero praeceptiuus, ac mera nota muſica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

מֵאֶרֶץ Merca referendus eſt ad Tiphcham, et Kadma ad Gereſchum (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Merca igitur eſt accentus verſicularis, ac verus, Kadma vero praecepti-

ceptiuus, ac mera nota musica (c. vox מצרים).

הוֹצִאתִיךָ Tbhir est accentus versicularis, ac verus, Tlischa vero Ktanna praeceptiuus ac mera nota musica (§. 12. 19. et 26. pr. §. 15. cor. et sch. et §. 22.).

אֲשֶׁר Darga referendus est ad Tbhirum, et Munach ad Tlischam Ktannam (§. 12. pr. et §. 19. c. Tab.). Darga ergo est accentus versicularis, et verus, Munach vero praeceptiuus, ac mera nota musica (c. vox הוצאתיך).

אֱלֹהֶיךָ Athnach est accentus versicularis, ac verus, Sakeph Katon vero praeceptiuus ac mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

יְהוָה Munach est accentus versicularis ac praeceptiuus (§. 20.).

אָנֹכִי Tiphcha est accentus versicularis, ac verus, Paschta vero praeceptiuus ac mera nota musica (§. 12. et 19. pr. §. 15. et 22.).

Series

Series ergo accentuum verſicularium huius verſus haec erit:



Qui, ſimul ſumti, ita ſunt pronunciandi: Silluk cum S. P. habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tiphcham, qui (Tiphcha) habet, praeuio ſeruo Merca, pro minori Tbhirum, praeuio ſeruo Darga. Athnach habet, praeuio ſeruo Munach, pro minori Tiphcham.

Series vero accentuum praeceptiuorum, a verſu quinto, vsque ad ſecundum incluſiue haec eſt:





Qui in connexione ſpectati faciles tibi erunt pronunciatu, ſi modo principia, quae ſupra expoſuimus, proſaica, ac imprimis doctrinam de figuris decimi tertii gradus, mente recolere tibi libuerit.

SCHOL. Praecepti tertii eadem eſt ratio, quae primi. Praeceptorum vero quatuor reliquorum, duplici accentuatione inſtructorum, oppoſita eſt ratio. In analyſi accentuum loci Gen. XXXV. v. 22. in locum accentuum praeceptiuorum ſubſtitue figuras vnitatis, et in locum accentuum verſicularium figuras dualitatis. En totam de accentibus doctri-

doctrinam et explicatam, et applicatam. Quid igitur quaeso impedit, quo minus nunc imponatur nostris de accentuatione meditationibus

FINIS.

Errata.

pag. 1. §. 1. cor. l. pro de lege ab. pag. 8. l. 1. pro ——" ——". pag. 32. l. 1. voces: ad secundum referunt deleantur. In tabula vero addantur sequentia:

— ‘ — ? —




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550/phys_0166
DFG

hervor, wenn sie auf
den werden. Es ge-
H. C., sich zu erinnern,
gen werden. (6) Auf
ige und traurige Psal-
nge-Noten abgesungen
nach einerley Singe-
schiedener Verbindung.
ß die Psalmen nicht im
ids nach den Accenten
amahls waren sie gar
ate, insoferne sie musi-
nen blos zum Gebrauch
en dieses antworte ich
en Einwurf, welcher
, wenn die Accente
so müsten auch die Ti-
er Psalmen mit abge-
Soll dieses soviel hei-
Singe-Noten sind, so
ten der Psalmen in dem
worden, oder soll es
: Wenn die Accente
müssen auch die Ueber-
n den Synagogen mit
Nach der ersten Bedeu-
unrichtig, indeme die
ids gar noch nicht ge-
Gebrauch der Synago-
sie es aber in dem an-
das consequens nicht

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn864241550/phys_0167
DFG